


STATUTA ORDINIS CARTUSIENSIS

Liber 1 - 4



Index

| | |
|--|---|
| Index..... | 2 |
| Capitulum 1: Prologus in Statuta Ordinis Cartusiensis..... | 4 |
| Capitulum 2: De Guigonis commendatione solitariae vitae..... | 5 |

Liber 1: De monachis claustris

| | |
|--|----|
| Capitulum 3: De monachis claustris..... | 7 |
| Capitulum 4: De cellae et silentii observatione..... | 8 |
| Capitulum 5: De operibus cellae..... | 10 |
| Capitulum 6: De custodienda clausura..... | 11 |
| Capitulum 7: De abstinentia et iejunio..... | 13 |
| Capitulum 8: De novitio..... | 14 |
| Capitulum 9: De Magistro novitiorum..... | 16 |
| Capitulum 10: De Professione..... | 17 |

Liber 2: De monachis laicis

| | |
|--|----|
| Capitulum 11: De monachis laicis..... | 20 |
| Capitulum 12: De solitudine..... | 21 |
| Capitulum 13: De clausura..... | 22 |
| Capitulum 14: De silentio..... | 24 |
| Capitulum 15: De labore..... | 25 |
| Capitulum 16: De abstinentia et iejunio..... | 27 |
| Capitulum 17: De novitio..... | 28 |
| Capitulum 18: De Professione..... | 30 |
| Capitulum 19: De Donatione..... | 31 |
| Capitulum 20: De institutione fratrum..... | 32 |

Liber 3: De Conventu

| | |
|---|----|
| Capitulum 21: De Liturgia cotidiana celebranda..... | 35 |
| Capitulum 22: De vita communi..... | 36 |
| Capitulum 23: De Priore..... | 38 |
| Capitulum 24: De tractando consilio..... | 41 |
| Capitulum 25: De Vicario et Antiquiore..... | 42 |
| Capitulum 26: De Procuratore..... | 42 |
| Capitulum 27: De infirmis..... | 43 |
| Capitulum 28: De paupertate..... | 44 |

| | |
|--|----|
| Capitulum 29: De temporalium rerum cura..... | 45 |
| Capitulum 30: De stabilitate..... | 47 |

Liber 4: De Ordine

| | |
|--|----|
| Capitulum 31: De regimine Ordinis..... | 49 |
| Capitulum 32: De Visitationibus..... | 51 |
| Capitulum 33: De conversione vitae..... | 53 |
| Capitulum 34: De Ordinis munere in Ecclesia..... | 54 |
| Capitulum 35: De ipsis Statutis..... | 55 |

Capitulum 1

Prologus in Statuta Ordinis Cartusiensis

Gratia Domini nostri Iesu Christi,
et caritas Dei,
et communicatio Sancti Spiritus
sit cum omnibus vobis. Amen¹.

1. Ad laudem gloriae Dei, Christus, Verbum Patris, per Spiritum Sanctum a principio homines elegit, quos in solitudinem duceret et intimo amore sibi vellet uniri. Quam vocationem secutus, Magister Bruno anno Domini 1084 cum sex sociis Cartusiae desertum intravit atque exstruxit. In quo loco ipsi et successores eorum sub disciplina Sancti Spiritus manentes², propriam eremiticae vitae consuetudinem experientia docente gradatim formaverunt, quae non scriptis sed exemplo posteris tradebatur.

Aliis autem eremis ad imitationem Cartusiae fundatis non semel id postulantibus, Guigo Cartusiae Prior quintus propositi institutionem scripto digessit, quam omnes sequendam et imitandam suscepserunt, tamquam regulam observantiae suaे nascentisque familiae vinculum caritatis. Cum vero cartusiensis propositi Piores a Prioribus et fratribus Cartusiae diu petierint ut in eadem Domo commune Capitulum liceret eis habere, primum Capitulum Generale sub Anthelmi prioratu congregatum est, cui omnes Domus, et ipsa Domus Cartusiae, in perpetuum se tradiderunt. Quo tempore etiam sanctimoniales de Pratobaione sponte propositum cartusiense amplexae sunt. Hoc fuit exordium Ordinis nostri.

2. Hinc ergo in decursu temporis Capitulum Generale, dum, rerum usu docente vel novis condicionibus occurribus, vitae cartusiensis formam aptabat, institutionem nostram stabiliebat ac explicabat. Cum autem ex hac consuetudinum nostrarum continua et accurata accommodatione moles ordinationum gradatim augeretur, anno Domini 1271 Capitulum Generale, tota substantia in unum compacta ex Consuetudinibus Guigonis, Generalium Capitulorum Ordinationibus ac usibus Cartusiae simul collatis, Antiqua Statuta promulgavit. Quibus anno 1368 alia documenta acreverunt, quae Novorum Statutorum nomine veniunt; anno etiam 1509 adiuncta documenta Tertia Compilatio appellantur.

Tres collectiones ergo cum exsisterent, occasione Concilii Tridentini in unum corpus redactae sunt, quod Novam Statutorum Collectionem vocamus. Huius vero tertia editio Constitutione Apostolica Innocentii Papae XI In iunctum Nobis in forma specifica approbata est³. Nova autem editio, denuo examinata atque ad Codicis Iuris Canonici tunc vigentis praescripta conformata, a Pio Papa XI Constitutione Apostolica Umbratilem iterum in forma specifica approbata est⁴.

3. Concilio vero OEcumenico Vaticano II sic iubente, rationis nostrae vivendi accommodata renovatio suscepta est ad mentem eiusdem Concilii decretorum, sanctissime servatis nostro a mundo secessu atque vitae contemplative exercitiis propriis⁵. Unde Capitulum Generale anni 1971 Statuta Renovata, cooperantibus omnibus Ordinis sodalibus recognita et emendata, approbavit.

Ut autem cum Codice Iuris Canonici, anno 1983 promulgato, congruerent, eadem Statuta denuo recognita in duas partes divisa sunt, cuius prima, Librum primum, secundum, tertium quartumque

¹2 Cor 13, 13.

²Sanctus Bruno, Epistola ad Radulphum Viridem, 10.

³27 martii 1688.

⁴8 iulii 1924, A.A.S. 1924, p. 385.

⁵Vaticanus II, Perfectae caritatis, 7.

complectens, Ordinis Constitutiones continet. Nos itaque humiles fratres, Andreas, Prior Cartusiae, ceterique in Capitulo Generali anni 1989 sedem habentes, haec Statuta approbamus et confirmamus.

Nolumus tamen ut priora Statuta, maxime antiquiora, in oblivionem eant ; sed etsi vim legis amplius non servent, in praesenti observantia spiritus eorum vigere perget.

4. Postremo hortamur omnes Religionis nostrae professores et alumnos, eosque obsecramus per misericordiam et bonitatem Dei (qui tam clementer cartusiensem coetum et familiam a principio ad hodiernum usque diem fovere, dirigere ac protegere dignatus est, omnia nobis abunde suppeditans quae ad nostram salutem perfectionemque conducunt) ut singuli in nostra vocatione et officio conemur per gratitudinem nobis possibilem tam paternaे liberalitati et benevolentiae Domini Dei nostri respondere. Quod praestabimus, si ad regularem observantiam, per haec Statuta nobis traditam, sic fideliter et sollicite laboremus, ut nostro homine externo his institutis recte et sicut decet instructo et exculto, ipsum Deum in homine interiori studiosius quaeramus, citius inveniamus, et perfectius possideamus : sicque Domino concedente ad perfectionem caritatis, quae nostrae Professionis et totius monasticae vitae finis est, pervenire et aeternam inde beatitudinem obtinere valeamus.

Capitulum 2

De Guigonis commendatione solitariae vitae

1. Qui solitudinem commendaverunt monachi, testimonium ferre de mysterio voluerunt, cuius divitias experti erant, quod soli vero beati plane exploratum habent. Ibi sacramentum magnum perficitur, Christi scilicet et Ecclesiae, cuius emens exemplum in beata Maria invenimus ; quod etiam in omni fidei anima totum latet, et ipsa virtute solitudinis altius revelatur.

In praesenti igitur capitulo, quod ex Consuetudinibus Guigonis sumimus⁶, quasi scintillae quaerendae sunt ex anima eius emicantes, cui Spiritus commisit ut primas leges conderet Ordinis nostri. Haec enim verba quinti Prioris, dum Sacram Scripturam antiqua interpretantur allegoria, recto tamen intellectu sublimem veritatem attingunt, quae nos cum Patribus nostris coniungit in fruitione eiusdem gratiae.

2. De commendatione vitae solitariae ad quam specialiter vocati sumus, pauca dicemus, scientes eam a multis sanctis et sapientibus et tantae auctoritatis ut eorum vestigia non simus calcare digni copiose commendatam.

3. Nostis enim in Veteri et in Novo maxime Testamento, omnia pene maiora et subtiliora secreta, non in turbis tumultuosis, sed cum soli essent Dei famulis revelata, ipsosque Dei famulos, cum vel subtilius aliquid meditari, vel liberius orare, vel a terrenis per mentis excessum alienari cuperent, fere semper multitudinis impedimenta vitasse, et solitudinis captasse commoditates.

4. Hinc est, ut aliquid inde tangamus, quod in agrum ad meditandum Isaac solus egreditur, quod ei non casuale sed consuetudinarium fuisse credendum est ; quod Iacob praemissis omnibus solus remanet, facie ad faciem Deum videt, benedictione simul et nominis in melius mutatione felix efficitur, plus assecutus uno momento solus, quam toto vitae tempore comitatus⁷.

5. Moyses quoque, Elias atque Elisaeus, solitudinem testis est Scriptura quantum diligent, quantumve per eam in divinorum secretorum revelationibus crescant ; quoque modo et inter homines periclitentur assidue, et a Deo cum soli sunt visitentur⁸.

6. Sed et Ieremias solus sedet, quia Dei comminatione repletus est. Poscens etiam dari aquam capit suu, et oculis suis fontem lacrimarum, ut lugeat imperfectos populi sui, locum quoque ubi se tam sancto

⁶Cons. Cart. 80. Numerus tamen 10 huius capituli in Nova Collectione additus est.

⁷cf. Gn 24, 63 ; 32, 24-32.

⁸cf. Ex 24, 18 ; cf. 1 Reg 19, 4-14 ; cf. 2 Reg 4, 9-11.

possit in opere liberius exercere postulat dicens, Quis dabit mihi diversorum viatorum in solitudine, tamquam hoc eum in civitate facere non vacaret, hoc modo indicans, quam impedianc socii gratiam lacrimarum. Qui etiam cum dixisset, Bonum est praestolari cum silentio salutare Dei, cui negotio maximum praestat solitudo suffragium, addidissetque, Bonum est viro cum portaverit iugum ab adolescentia sua, ubi nos plurimum consolatur, qui propositum istud pene omnes a iuventute subivimus, adiecit et ait, Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit se supra se, omnia pene quae in hac nostra institutione sunt optima, quiete et solitudine, silentio et superiorum appetitione significans⁹.

7. Quae studia suos alumnos quales efficiant postea manifestat dicens, Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis¹⁰. Quorum, in altero patientia summa, in altero perfecta refulget humilitas.

8. Ioannes quoque Baptista, quo inter natos mulierum iuxta Salvatoris praeconium maior nemo surrexit¹¹, quid solitudo securitatis, quidve utilitatis afferat, evidenter ostendit. Qui nec divinis oraculis quibus praedictum fuerat quod, ab utero Spiritu Sancto repletus, in spiritu et virtute Eliae Christum foret Dominum praeventurus, nec mirabili nativitate nec parentum sanctitate securus, frequentiam hominum fugiens tamquam periculosam, deserta solitudinis tamquam tuta delegit¹², tamdiu pericula mortemque nesciens, quamdiu eremum solus incoluit. Ubi quid virtutis lucratus quidve sit meriti, Christi baptismus et pro iustitia mors suscepta monstravit. Talis est enim factus in solitudine, ut dignus esset lavantem omnia Christum solus lavare, et pro veritate nec carcerem nec mortem declinare.

9. Iesus ipse Deus et Dominus, cuius virtus nec secreto iuvari nec publico poterat impediri, ut suo tamen nobis consuleret exemplo, priusquam praedicaret vel signa faceret, temptationibus atque ieuniis quasi probatus est in solitudine. De quo Scriptura refert quod relictis turbis discipulorum, in montem solus ascenderet orare. Qui et imminentis iam tempore Passionis, Apostolos relinquit solus exoraturus, isto vel maxime insinuans exemplo, quantum solitudo proposit orationi, quando comitibus licet Apostolis, non vult mixtus orare¹³.

10. Et, ne mysterium hic nobis omnibus maxime observandum silentio praetereamus, idem Dominus et Salvator humani generis per se dignatus est vivum atque primum nostri Instituti exemplar praebere, cum sic in deserto solus degeret orationi et internis vacans exercitiis, ieunio, vigiliis ac ceteris paenitentiae fructibus macerans corpus, per arma spiritualia tentationes et adversarium nostrum superans.

11. Iam vos ipsi, sancti ac venerabiles Patres Paulus, Antonius, Hilarion, Benedictus, et ceteri nobis innumerabiles, quantum in solitudine mente profecerint per vos considerate, et probabitis suavitates psalmodiarum, studia lectionum, fervores orationum, subtilitates meditationum, excessus contemplationum, baptismata lacrimarum, nulla re magis quam solitudine posse iuvari.

12. Non autem haec vobis pauca quae diximus sufficient exempla ad suscepti laudem propositi, sed ipsi potius vobis plura coacervate, vel de rerum usu praesentium, vel de Sanctarum paginis Scripturarum.

⁹cf. Ier 15, 17 ; 9, 1-2 ; Lam 3, 26-28.

¹⁰Lam 3, 30.

¹¹cf. Mt 11, 11.

¹²cf. Lc 1, 15-17.80.

¹³cf. Mt 4, 1-11 ; 14, 23 ; 26, 39-44.

- Liber 1 -

DE MONACHIS CLAUSTRI

Capitulum 3

De monachis claustris

1. Qui nostrae Religionis Patres fuerunt, orientale lumen sequebantur, antiquorum scilicet illorum monachorum quibus, calente adhuc in cordibus effusi Domini Sanguinis recenti memoria, solitariam vitam et paupertatem spiritus profitentibus, deserta repleta sunt¹⁴. Monachos igitur claustris, eandem viam incedentes, oportet, sicut illi fecerunt, eremos ab hominum habitatione satis remotas¹⁵, cellasque tum a mundi tum ab ipsius Domus strepitu secretas incolere, sed maxime a rumoribus etiam saeculi seipsos facere alienos.

2. Qui stabilis perseverat in cella et ea instituitur, ad hoc tendit ut omnis sua conversatio una et iugis efficiatur oratio¹⁶. Sed introire non potest in requiem istam nisi fortis certaminis labore fuerit exercitatus, tum asperitatibus quibus insistit propter Crucis consuetudinem, tum visitationibus quibus eum Dominus tamquam aurum in fornace probaverit¹⁷. Sic, per patientiam emundatus, necnon per assiduam meditationem Scripturarum consolatus et enutritus, ac in profundum cordis sui per gratiam Spiritus introductus, Deo iam non servire tantum, sed adhaerere valebit¹⁸.

3. Operandum est etiam aliquid manibus, non tam quod animum delectando ad horam detineat quam quod communi hominum legi corpus subiciens, spiritualibus etiam studiis delectationem conservet et nutriat¹⁹. Monacho idcirco necessaria utensilia in cella conceduntur ne exire de cella compellatur. Hoc enim nequaquam licet, nisi cum ad claustrum aut ecclesiam convenitur²⁰, vel occasionibus quae generaliter institutae sunt. Attamen, quanto asperius subivimus propositum, tanto magis ad universorum quae ad usum nostrum pertinent paupertatem astringimur. Oportet enim ut Christi pauperis sequamur exemplum, si Christi divitis voluerimus habere consortium²¹.

4. Domini amore, oratione ac zelo solitudinis coadunati, monachi claustris seipsos veros Christi discipulos, non tam nomine quam opere demonstrant, mutuae dilectioni studeant, id ipsum sentientes ac invicem supportantes, sibimetipsis donantes si quis adversus aliquem habet querelam, ut unanimes, uno ore honorificant Deum²².

5. Intimum etiam nexum in mente teneant patres quo in Christo cum fratribus coniunguntur. Recognoscant se ab eis pendere ut puram orationem in quiete et solitudine cellae Domino offerre possint. Meminerint sacerdotium quo aucti sunt servitium esse Ecclesiae, maxime in membra quae proprius sunt, nempe in fratres suae Domus. Honore invicem praevenientes, patres et fratres in caritate vivant, quod est vinculum perfectionis, et fundamentum ac fastigium cuiuslibet vitae Deo dicatae²³.

¹⁴cf. Guillelmus de Sancto Theoderico, Epistola ad Fratres de Monte Dei, PL 184, 310.

¹⁵cf. Sanctus Bruno, Epistola ad Radulphum Viridem, 4.

¹⁶cf. Cassianus, Collatio 10, 7.

¹⁷cf. Sap 3, 6.

¹⁸Guillelmus de Sancto Theoderico, Epistola ad Fratres de Monte Dei, PL 184, 311.

¹⁹Ibidem, PL 184, 322.

²⁰cf. Cons. Cart. 28, 6.

²¹cf. Guigo, Epistola De vita solitaria, 6.

²²cf. Rom 12, 16 ; 15, 6 ; cf. Col 3, 13.

²³cf. Rom 12, 10 ; cf. Col 3, 14.

6. Prioris est omnibus filiis suis, monachis scilicet claustris et laicis, in seipso exhibere Patris caelestis dilectionis signum, ac illos in Christo ita colligere ut una efficiantur familia et unaquaeque Domus nostra, secundum Guigonis verbum, vere sit cartusiensis ecclesia²⁴.

7. Quae radicem et cardinem habet in Eucharistici Sacrificii celebratione²⁵, quod est signum efficax unitatis. Est etiam vitae nostrae centrum atque culmen, necnon viaticum spiritualis nostrae Exodi qua in solitudine per Christum ad Patrem revertimur. Per totum etiam Liturgiae cursum Christus pro nobis, ut Sacerdos noster, et in nobis, ut nostrum Caput, orat, adeo ut in illo voces nostras, in nobis vocem eius agnoscamus²⁶.

In vigilia nocturna Officium nostrum, secundum morem antiquum, satis protrahitur ; semper tamen discretione temperatur. Ita interna devotio psalmodia nutritur ut de cetero secretae cordis orationi vacare queamus quin fastidium aut lassitudinem generet.

8. Ex antiqua nostra consuetudine omnis monachus claustris, mira divinae pietatis dignatione, sacro altaris ministerio deputatur. Unde in illo ea harmonia manifestatur quae teste Paulo VI inter sacerdotalem et monasticam existit consecrationem²⁷ ; exemplo enim Christi, sacerdos pariter fit et hostia, in odorem suavitatis Deo²⁸, atque per sacrificii Domini societatem investigabilibus Cordis eius divitiis communicat.

9. Cum Institutum nostrum integre ad contemplationem ordinetur, secessum nostrum a mundo sanctissime servari oportet. Ideo a quocumque pastorali officio excipimur, quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas²⁹, ut in Corpore Christi Mysticō munus proprium adimpleamus.

Habeat Martha laudabile quidem sed tamen non sine sollicitudine et perturbatione ministerium; ferat nihilominus sororem, Christi vestigiis inherentem, et quoniam ipse est Deus vacando videntem, spiritum suum scobentem, suamque orationem in sinum suum convertentem, et quid sibi in se loquatur Dominus audientem, sicque, ex quantula per speculum et in aenigmate parte potest, quam est suavis gustantem et videntem, et tam pro ipsa quam pro cunctis taliter laborantibus exorantem. Quae habet non solum iustissimum iudicem, sed etiam fidelissimum advocatum, ipsum videlicet Dominum, qui propositum eius non solum defendere, sed etiam commendare dignatur, dicens : Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea ; quibus verbis eam ne sollicitudinibus Marthae perturbationibusve quilibet piis sese insereret excusavit³⁰.

Capitulum 4

De cellae et silentii observatione

1. Praecipue studium et propositum nostrum est silentio et solitudini cellae vacare. Haec enim terra sancta et locus est in quo Dominus et servus eius saepe colloquuntur sicut vir ad amicum suum³¹. In quo crebro fidelis anima Verbo Dei coniungitur, sponsa Sponso sociatur, terrenis caelestia, humanis divina uniuntur³². Longum tamen iter, per viam aridam et inaquosam, antequam ad fontes aquarum terramque promissionis perveniatur.

²⁴Guigo, Epistola ad Remensis episcopum.

²⁵cf. Vaticanus II, Presbyterorum Ordinis, 6.

²⁶Sanctus Augustinus, In Ps. 85, PL 37, 1081.

²⁷cf. Paulus VI, Allocutio 18 novembris 1966, A. A. S. 1966, p. 1181.

²⁸Guigo, Epistola, De vita solitaria, 7 ; cf. Eph 5, 2.

²⁹cf. Vaticanus II, Perfectae caritatis, 7 ; Christus Dominus, 35, 1 – Codex iuris canonici, c. 674.

³⁰Cons. Cart. 20, 2-3 ; cf. Lc 10, 39-42 ; cf. Ps 45, 11 ; 76, 7 ; 34, 13 ; 84, 9 ; 33, 9 ; cf. 1 Cor 13, 12.

³¹Cons. Cart. 14.5 ; cf. Ex 3, 5 ; 33, 11.

³²Guillelmus de Sancto Theoderico, Epistola ad Fratres de Monte Dei, PL 184, 314.

2. Ideo cellae habitatorem diligenter ac sollicite decet invigilare ne quas occasiones egrediendi foras vel machinetur vel recipiat, exceptis his quae generaliter institutae sunt ; sed potius sicut aquas piscibus et caulas ovibus, ita suae saluti et vitae cellam deputet necessariam. Quam si frequenter et levibus de causis exire insueverit, cito habebit exosam secundum illud Augustini : Amicis huius mundi nihil esse laboriosius quam non laborare³³. Quanto econtra diutius in cella habitabit, tanto libentius³⁴, dum tamen in ea ordinate et utiliter se occupet legendō, scribendo, psallendo, orando, meditando, contemplando et laborando. Ipsi interim in usu sit tranquilla auscultatio cordis, quae sinat Deum intrare per omnes portas eius et semitas. Sic pericula, Deo dante, vitabit, quae solitario non raro insidiantur : ut nempe faciliorem viam in cella sequatur, et inter tepidos computari mereatur.

3. Silentium autem quem fructum afferat scit qui expertus est. Etsi primis temporibus nobis tacere labor, gradatim, si fideles fuerimus, de ipso silentio nostro aliquid nascetur in nobis quod ad plus silentii nos attrahet³⁵. Ad quod consequendum statutum est ut ad alter-utrum non loqueremur sine licentia Praesidentis.

4. Caritatis erga fratres nostros primus actus est ipsorum solitudinem observare ; et si de aliquo negotio colloqui permittimur, sermo noster brevis sit, quantum fieri potest.

5. Qui cum permissu de cella exierit, extraneis vel domesticis famulis vel etiam monachis sine speciali licentia non loquitur. Sed qui licentiam habet, ne loquatur de negotiis et regimine Domus, aut ullo modo his rebus se immisceat. Non enim expedit habitatori cellae nosse huiusmodi, quae ad Officiales pertinent curanda ; tum etiam hoc totius Domus paci contrarium est³⁶. Felix qui solus sedere appetit in silentio³⁷.

6. Cellam alterius sine licentia non intramus. Qui autem permissus venit, non ingreditur repente, sed pulsat ad ostium et exspectat donec habitator cellae ad eum exierit ; tunc huiusmodi licentiam habens religiose salutat et, quamdiu ibi moratur, cellae ostium semiapertum manet.

7. Cum aliquis est in alterius cella vel alibi per licentiam extra cellam, audita vespertina campana ad Salutationem Angelicam, statim recedere debet, nisi maiorem moram faciendi speciale licentiam habuerit. Non enim licet nobis post Salutationem Angelicam loqui, nec deinde ante Primam, nisi causa notabili exigente.

8. Si quis vero aliqua re necessaria caruerit vel aliquod periculum institerit, licebit cellam exire et subsidium praestare vel petere et, si tanta necessitas urgeat, paucissimis verbis quod res postulat indicare³⁸.

9. Qui de Ordine nostro non sunt nec ad ipsum Ordinem aspirant in cellis nostris ne hospitentur.

10. Quotannis per octo dies quieti cellae et recollectioni maiore studio vacant monachi claustrī. Quod convenienter occasione anniversarii Professionis suae consueverunt servare.

11. In solitudinem duxit nos Deus ut loqueretur ad cor³⁹. Sit ergo cor nostrum tamquam vivens altare ex quo pura iugiter ante Dominum oratio ascendat⁴⁰ ; qua omnes actus nostri quasi imbui debent.

³³Sanctus Augustinus, *De vera religione*, 35, PL 34, 151.

³⁴Cons. Cart. 31.1.

³⁵cf. Isaac Niniviticus, *De perfectione religiosa*, cap. 65, Ed. Bedjan, Paris, 1909, p. 450 .

³⁶Cons. Cart. 17.1-2.

³⁷Guigo, *Epistola, De vita solitaria*, 2.

³⁸Cons. Cart. 31.2-3.

³⁹cf. Os 2, 14 (heb. 2, 16-17).

⁴⁰cf. Sanctus Nilus, *Epistolarum Lib. III, Ep. XXXII*, Andreae, PG 79, 388.

Capitulum 5

De operibus cellae

1. Monachus claustrum, in proprio officio divinae legi laboris obnoxius⁴¹, otiositatem fugit quae secundum Veteres inimica est animae⁴². Humiliter ergo et alacriter amplectitur ea quae ex necessitatibus vitae pauperis et solitariae agenda occurunt; hac lege tamen ut cuncta ad divinae contemplationis ministerium, cui integre mancipatur, ordinentur. Praeter enim diversa genera operum manualium, officia omnia quae status eius exigit pensum laboris eius constituunt, ea praecipue quae vel ad cultum divinum vel ad divinae doctrinae studium spectant.

2. Imprimis, ne vitae religiosae tempus inaniter in cella consumatur, actuose simul et discrete vacare debet monachus claustrum studiis ei convenientibus, non quidem ex pruritu discendi vel libros edendi, sed quia lectio sapienter ordinata animam firmius instruit, caelestiumque contemplationi fundamentum praebet. Errant enim qui putant, studio verbi Dei aut ante neglecto aut postea deposito, posse se facile ad interiorem cum Deo coniunctionem efferri⁴³. Itaque, medulla sensuum magis quam spuma verborum occupati⁴⁴, divina mysteria eo desiderio cognoscendi scrutemur, quod ex amore procedit et amorem inflamat.

3. Labore manuum monachus ad humilitatem se exercet, totumque corpus in servitutem redigit ut animae stabilitatem melius consequatur. Unde, temporibus institutis (46.8), vacare licet manualibus operibus quae sint vere utilia. Nam in superfluis aut vanis operibus non decet tempus pretiosum expendere quod ad glorificandum Deum unicuique conceditur. Ab eodem vero tempore non excluditur utilitas lectionis et orationis; immo semper in laborando saltem ad breves et quasi iaculatas licet orationes recurrere⁴⁵. Aliquando etiam fit ut operum pondera velut anchora quaedam fluctuationi cogitationum imponantur, unde cor fixum in Deo iugiter manere potest sine mentis fatigacione⁴⁶.

4. Labor servitium est quo cum Christo coniungimur, qui non venit ministrari sed ministrare⁴⁷. Laudandi quidem sunt qui propria industria de supellectile, instrumentis et ceteris rebus quibus in cella utuntur ita curam gerunt ut labori fratrum pro posse parcant. Sed cellam ordinatam et mundam tenere omnibus officio est.

5. Prior omni tempore patri labore aliquem vel servitium imponere potest quod ad bonum commune conferat; et hoc libenter et cum gaudio caritatis accipit: nam in die Professionis sua pro humillimo omnium servo recipi petiit. Cum autem aliqua opera monacho claustrum commendatur, talis semper sit ut libertas mentis inter operandum servari valeat, neque de lucro vel de termino ad operam complendam sollicitudo oriatur. Solitarius enim, non tam quod agit quam quo intendit pree oculis habens⁴⁸, oportet ut cor per vigil semper custodire possit. Ut monachus autem quietus et sanus in solitudine permaneat, saepe opportunum erit ut aliqua libertate in labore suo disponendo fruatur.

⁴¹cf. Vaticanus II, Perfectae caritatis, 13.

⁴²Sanctus Basilius, Regulae a Rufino translatae, Interrogatio 192, PL 103, 550 _ Cassianus, De coenobiorum Institutis, Liber 10 per totum _ Regula sancti Benedicti, cap. 48.

⁴³cf. Pius XI, Epistola "Unigenitus Dei Filius", 19 martii 1924, A. A. S. 1924, p. 137.

⁴⁴Guigo, Epistola, De vita solitaria, 4.

⁴⁵cf. Cons. Cart. 29.3.

⁴⁶cf. Cassianus, De coenobiorum Institutis II, 14.

⁴⁷Mt 20, 28.

⁴⁸Guillelmus de Sancto Theoderico, Epistola ad Fratres de Monte Dei, PL 184, 322.

6. Patres extra proprias cellas ad laborandum, praesertim in oboedientiis fratrum, regulariter non vocentur. Si tamen aliquos ex patribus simul eidem operi deputari accidit, ipsi quidem ad invicem de suo labore utilibus loqui possunt, non autem cum supervenientibus⁴⁹.

7. Navitas igitur nostra e quodam interiori fonte semper dimanet, ad exemplar Christi, qui cum Patre ita semper operatur ut Pater in eo manens ipse faciat opera⁵⁰. Sic Iesum sequemur in humili occultaque vita eius Nazarethana, sive Patrem in abscondito orantes⁵¹, sive oboedienter coram Eo laborantes.

Capitulum 6 De custodienda clausura

1. Ab antiquo Ordinis nostri mens fuit ut per strictum rigorem clausurae absoluta nostra Deo dedicatio exprimeretur ac fulciretur. Quanta autem deberet intervenire necessitas, antequam exeundum esset foras, satis apparet ex hoc quod Prior Cartusiae numquam terminos eremi suaegreditur⁵². Unde cum unus et idem Ordo uniformiter et indissimiliter observari debeat a professoribus suis, nos, qui cartusiense propositum suscepimus, a quo et Cartusienses nuncupamur, haud facile admittimus exceptiones; et si tamen necessitas aliqua exegerit, semper petenda est a Reverendo Patre licentia, praeter casum urgentem et alios in Statutis expressos.

2. Nullus monachus claustrum potest e Domo exire pro negotiis quibuscumque, Priore et Procuratore tantum exceptis, nec quidem sine licentia romanam curiam adire. Tamen, propter inevitabilia negotia civilem administrationem spectantia, Prior alicui permittere potest ut unam e civitatibus vicinioribus petat, quas Visitatores de consensu Capituli Generalis vel Reverendi Patris designaverint, dummodo eodem die revertatur. Porro, qui facultate egrediendi utitur, personas tantum visitet vel loca adeat quae ad negotium pertinent pro quo missus est.

3. Prior subditos suos ad suscipiendos Ordines ad propriam civitatem mittat vel, si ibi Ordines non conferantur, ad locum vicinorem. Qui vero tantam gratiam accipiunt, dies illos, quantum fieri potest, in solitudine et silentio peragere contendant, praesertim qui in sacerdotes ordinantur, servata erga parentes caritate.

4. Clausurae autem rigor in pharisaicam observantiam verteretur, nisi illius puritatis cordis signum esset cui soli Deum videre promittitur⁵³. Ad istam consequendam magna requiritur abnegatio, naturalis praesertim curiositatis quam circa humana homo experitur. Non debemus novitatum et rumorum quaestu animum nostrum per mundum vagari sinere. Sed contra, in abscondito faciei Domini occultos manere⁵⁴ pars nostra est.

5. Nobis ergo vitandi sunt illi profani libri vel periodica quibus interius nostrum silentium turbari possit. Spiritui Ordinis praesertim contrarium esset diaria, in quibus de rebus politicis tractatur, quovis modo in claustra introducere. Immo Piores monachis suadeant ut in profanis lectionibus valde sobrii sint. Sed haec exhortatio animum requirit maturum et sui iuris⁵⁵, qui

⁴⁹cf. Cons. Cart. 32.1.

⁵⁰cf. Io 5, 17 ; 14, 10.

⁵¹cf. Mt 6, 6.

⁵²Cons. Cart. 15.4.

⁵³cf. Mt 5, 8.

⁵⁴Ps 30, 21.

⁵⁵Guigo, Epistola, De vita solitaria, 5.

sciat sincere amplecti omnes consequentias optimae partis quam elegit, sedere scilicet ad pedes Domini et audire verbum illius⁵⁶.

6. Verumtamen familiaritas cum Deo cor non angustat sed dilatat, ita ut in Ipso studia et difficultates mundi, magnasque Ecclesiae causas amplecti valeat, quarum par est monachos aliquam notionem habere. Sincera tamen hominum sollicitudo non curiositatis satisfactione, sed intima Christi societate gerenda est. Unusquisque, Spiritum intra se auscultans, discernat quae in mentem admittere valeat quin divinum perturbetur colloquium.

7. Quod si qua eorum quae in mundo geruntur notitia ad nos casu pervenerit, caveamus ne eam aliis tradamus; sed potius saeculares rumores, ubi eos audivimus, ibi dimittamus⁵⁷. Prioris est enim ea monachis suis referre, de vita Ecclesiae praesertim et de necessitatibus eius, quae non oportet eos ignorare.

8. Cum personis Ordinis vel aliis, qui interdum ad Domum nostram adventant, colloquium ne quaeramus nisi vera existente necessitate. Non enim cultori solitudinis silentiique tenaci et avido quietis conductit aut alios invisere aut ipsum ab aliis visitari absque causa.

9. Cum autem scriptum sit : Patrem tuum et matrem tuam honora⁵⁸, clausurae rigorem aliquantum solvimus ad recipiendos parentes aliosve propinquos nostros, duobus scilicet in anno diebus, sive disiunctis sive continuis. Alias vero, nisi Christi caritate aliqua inevitabilis necessitas nobis imponatur, amicorum visitationes et saecularium colloquia vitamus. Scimus enim Deum dignum esse cui hoc sacrificium offeratur, illudque magis quam sermones nostros hominibus profuturum.

10. Vana etiam esset exterior clausura, si cum extraneis per epistolas frequens haberemus commercium. Litteras nec mittimus nec recipimus, nisi sciente Priore. Ab hac lege eximuntur litterae quae ad Capitulum Generale, ad Reverendum Patrem, ad proprios Visitatores, ad Procuratorem Generalem, ad Scribam necnon ad Sanctam Sedem scribuntur, aut ab eis recipiuntur. Ii etiam qui sub regimine Magistri sunt, liberum cum ipso commercium epistolare habent. A privatis autem colloquiis telephonicis, nisi gravibus in adjunctis, abstinemus.

11. Spiritualem per epistolas directionem numquam impertimus. Nec ulli nostrum publice praedicare licet. Si enim saeculares ex silentio nostro non proficiunt, quanto minus ex loqua⁵⁹.

12. Quia eremita doctoris non habet officium⁶⁰, nulla persona Ordinis aliqui libri seu tractatus ut imprimantur procurare praesumat, etiam in foliis periodicis, nisi prius per Capitulum Generale aut Reverendum Patrem fuerint approbati. De colloquiis autem quae a mediis socialis communicationis interdum nobis petuntur, multum caveamus.

13. Circa confessiones eorum qui de Ordine nostro non sunt, Piores hortamur ut sese difficiles exhibeant, et, nisi necessitas exegerit, nullatenus dictas confessiones admittant, cum natura nostrae Professionis admissionem huiusmodi confessionum omnino recuset. Si forte, ipsa necessitate cogente, istas permiserint, caveant ne in consuetudinem vertantur et quamprimum fieri possit ut abscondantur. Mulieres autem nullatenus ad confessiones faciendas recipientur, vel ad directionem spiritualem suscipiendam.

⁵⁶cf. Lc 10, 39.42.

⁵⁷cf. Cons. Cart. 62.2.

⁵⁸Ex 20, 12.

⁵⁹Apophlegmata Patrum, Theoph. 2, PG 65, 198.

⁶⁰Guigo, Praefatio ad Antiphonarium Cartusianum ; Annales Ord. Cart., I, 308.

14. In Domibus nostris canonice constitutis servatur stricta clausura iuxta traditionem Ordinis. Intra clausuram mulieres admitti nequeunt. Quando cum mulieribus loquimur, eam modestiam, quae monachum decet, servamus.

15. Meminerint monachi castitatem propter regnum caelorum quam profitentur, tamquam eximum gratiae donum existimandam esse. Cor enim eorum singulari modo liberat ut facilius Domino amore indiviso adhaerere queant. Sic ipsi arcanum illud evocant connubium a Deo conditum et in futuro saeculo plene manifestandum, quo Ecclesia unicum Sponsum Christum habet. Oportet ergo ut, professionem suam fideliter servare studentes, verbis Domini credant et, Dei auxilio confisi, de propriis viribus ne praesumant, mortificationem sensuumque custodiam adhibeant⁶¹. Mariae etiam confidant quae humilitate et virginitate Mater Dei fieri meruit.

16. Quid vero solitudo eremique silentium amatoribus suis utilitatis iucunditatisque divinae conferat, norunt hi soli qui experti sunt.

Hic namque viris strenuis tam redire in se licet quam libet et habitare secum, virtutumque germina instanter excolere atque de paradisi feliciter fructibus vesci.

Hic oculus ille conquiritur, cuius sereno intuitu vulneratur Sponsus amore, quo mundo et puro conspicitur Deus.

Hic otium celebratur negotiosum et in quieta pausatur actione.

Hic pro certaminis labore repensat Deus athletis suis mercedem optatam, pacem videlicet quam mundus ignorat et gaudium in Spiritu Sancto⁶².

Capitulum 7 De abstinentia etieiunio

1. Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius⁶³. Quod praestamus tum aerumnas et anxietates huius vitae suscipiendo, tum paupertatem in filiorum Dei libertate amplectendo propriaeque voluntati abrenuntiando⁶⁴. Secundum monasticam traditionem autem, nostrum est insuper Christum in deserto ieunantem sequi, corpus castigantes et in servitutem redigentes⁶⁵, ut mens desiderio Dei fulgeat⁶⁶.

2. Unam abstinentiam qualibet hebdomada faciunt monachi claustrorum, regulariter feria sexta; quo die pane et aqua contenti sunt⁶⁷. Certis autem temporibus ac diebus ieunium Ordinis servant, in quo nonnisi semel in die reficiuntur (cf. cap. 48).

3. Mortificatio carnis non propter obsequium Statutorum solummodo amplectenda est, sed praecipue ut a voluntate carnis exonerati alacrius post Dominum incedamus.

Quod si quis, in aliquo casu vel tempore procedente, expertus sit aliquam ex observantiis nostris vires suas superare, et ob eam animum suum in sequela Christi retardari magis quam incitari, temperamentum sibi congruum filiali corde cum Priore statuat, saltem ad tempus. Sed, Christi vocantis

⁶¹cf. Vaticanus II, Perfectae caritatis, 12.

⁶²Sanctus Bruno, ad Radulphum, 6.

⁶³cf. 1 Pe 2, 21.

⁶⁴cf. Vaticanus II, Lumen gentium 42.

⁶⁵1 Cor 9, 27.

⁶⁶cf. Oratio Feriae III post Dominicam I Quadragesimae.

⁶⁷Cons. Cart. 33.1.

semper memor, quid valeat facere discernat et, quod Domino per communem observantiam praestare nequit, alio modo offerat, abnegans semetipsum et crucem suam cotidie tollens⁶⁸.

4. Novitios ergo paulatim assuescere oportet abstinentiis et ieuniis Ordinis, ut ad rigorem observantiae prudenter et secure contendant sub moderamine Magistri. Qui eos praesertim invigilare doceat ne, sub praetextu ieuniorum quae eis sustinenda sunt, tempore refectionis sobrietatem transgrediantur. Sic discent spiritu facta carnis castigare, ac mortificationem Iesu in corpore suo ferre ut et vita Iesu manifestetur in corporibus suis⁶⁹.

5. Secundum observantiam a primis Patribus nostris introductam singularique studio semper custoditam, omnem esum et sumptionem carnium a nostro proposito abieciimus. Quae abstinencia observetur, ut Ordinis proprium atque signum eremitici rigoris in quo Deo dante perseverare intendimus.

6. Alienum esset a cartusiana sobrietate et voluntaria paupertate de victualibus murmurare, maxime coram Conventu. Non tamen per hoc prohibere intendimus quin quilibet suas necessitates cum modestia et animi resignatione Priori exponere possit, qui suis monachis necessaria iuxta formam Ordinis sufficienter providebit.

7. Omni tempore frugalitas servetur in cibis, etiam occasione festorum, quamvis tunc liceat aliquo modo laetitiam cordium exterius manifestare. Quod si Prior aliquos abusus forte introductos refrenandos aestimaverit, omnes laeto corde ad eius mandatum se conforment.

8. Paenitentiae exercitiis, praeter ea quae his Statutis docentur, nullus nostrum indulget, nisi Priore sciente et favente. Sed et si cui Prior pitantium aliquam, seu cibi seu somni, vel alterius cuiuslibet rei facere, aut durum et grave aliquid imponere voluerit, repugnare fas non habemus, ne, cum ei restiterimus, non ei sed Domino, cuius erga nos agit vices, restitisse inveniamur. Licet enim multa sint et diversa quae observamus, nihil tamen sine oboedientiae bono nobis fructuosum futurum speramus⁷⁰.

Capitulum 8

De novitio

1. Qui, divino ferventes amore, saeculum relinquere et aeterna captare cupiunt⁷¹, cum ad nos venerint, eodem spiritu a nobis recipientur. Valde ergo oportet novitios, in Domibus ubi instituendi sunt, exemplum observantiae regularis et pietatis, custodiae cellae et silentii invenire, necnon caritatis inter fratres. Quae si defecerint, vix sperandum est ut in proposito nostro perseverare possint.

2. Candidati autem qui ad nos veniunt, sedulo et circumspecte examinandi sunt, secundum monitum Ioannis Apostoli : Probate spiritus, si ex Deo sint⁷². Certo quippe constat ex bona vel mala receptione et institutione novitiorum, profectum vel defectum Ordinis, tam in merito quam in numero personarum, praecipue pendere.

Priores itaque de illorum familia, vitaque anteacta, necnon de mentis corporisque habilitate caute inquirere debent ; qua de re prudentes medicos etiam consultare iuvabit, qui propositum nostrum bene noverint. Inter dotes enim quibus pollere debent candidati ad vitam solitariam, temperatum et sanum iudicium imprimis adnumerandum est.

⁶⁸Lc 9, 23.

⁶⁹cf. Rom 8, 13 ; cf. 2 Cor 4, 10.

⁷⁰cf. Cons. Cart. 35.1-3.

⁷¹Sanctus Bruno, ad Radulphum, 13.

⁷²1 Io 4, 1.

3. Novitios, antequam vigesimum annum attigerint, recipere non solemus ; insuper ex eis qui postulant admitti, ii tantum accipientur qui, iudicio Prioris et maioris partis Conventus, sint doctrina, religione, maturitate et corporis viribus sufficientes ad portanda onera Ordinis ; ad solitudinem quidem, sed etiam ad vitam communem satis apti.

4. In receptione vero personarum provectionis aetatis circumspectiores simus oportet, cum observantiis et formae vitae nostrae difficilius assuescant ; ideo nolumus ut ullus recipiatur post peractum quadragesimum quintum annum sine expressa licentia Capituli Generalis vel Reverendi Patris. Quae licentia etiam requiritur ut religiosus qui in alio Instituto vinculo professionis obstringitur, ad novitiatum admittatur ; et si agatur de professo votorum perpetuorum, Reverendus Pater consensu Consilii Generalis indiget. Pro admissione personae quae aliquando votis in Instituto religioso obstricta fuerit, Reverendum Patrem prius audire suademur.

5. Qui quocumque titulo in Domibus nostris vixerunt et postea exierunt, in alia vel in eadem Domo ne recipientur, quin Reverendus Pater consulatur, et Superiores qui tales personas noverunt. Qui in Ordine nostro novitius vel professus iam antea exstiterit, probationem ab initio resumit.

6. Quando aliquis venit ad nos volens fieri monachus claustrum, primo interrogatur in privato quo motivo et qua intentione hoc velit. Et si revera Deum solum quaerere videtur⁷³, de aliquibus examinatur quae tunc nosse oportet : an in humanioribus litteris eam habeat scientiam quae monacho ad sacerdotium promovendo sufficiat ; an etiam cantare possit ; an ullo impedimento canonico teneatur. Postulans autem novitiatum initiare non poterit, nisi linguam latinam sufficienter cognoverit.

7. His peractis, candidato finis vitae nostrae declaratur, et gloria quam ex nostro consortio cum Redemtionis opere Deo obvenire speramus, et quam bonum sit et iucundum omnibus relictis Christo adhaerere. Sed et dura quoque ipsi proponuntur et aspera, totaque ratio vitae quam subire desiderat prout fieri potest ante oculos ponitur. Ad quae si imperterritus manserit, et promptissime sponederit propter verba labiorum Domini se custoditum esse vias duras, Christo commori et convivere volens⁷⁴, tunc demum suadetur ei omnibus qui adversus eum aliquid habent iuxta Evangelium reconciliari⁷⁵.

8. Post probationem, quae per saltem tres menses nec ultra annum protrahitur, postulans certo die Conventui proponitur, qui alio die de eius admissione suffragium feret.

9. Quoties candidatus ad aliquem gradum probationis admissurus est, Conventus suffragium fert, quod est deliberativum.

Quod suffragium sic intellegendum est : si maior pars Conventus consensum negaverit, vel neutra pars praevaluerit, candidatus recedere debet ; suffragio autem affirmativo Conventus pro parte sua se paratum declarat ad suscipiendum candidatum. At Prioris est, ut pater omnium, eum admittere quin tali suffragio obligetur (cf. 24.3 et 37.2).

10. Praemissis octo diebus recollectionis, postulans in societatem Ordinis sub habitu monachali a Priore recipitur. Sciendum est autem quod absente Priore, nisi de speciali eius licentia, nullus novitius recipi potest.

11. Novitius pecunias et alias res suas, quas secum forte attulerit, ex integro Priori reddat, ut non ipse sed Prior, vel cui Prior iniunxerit, eas fideliter ad instar depositorum custodiat, cum ipse, relictis omnibus, Christum sit secuturus⁷⁶. Nos autem a novitiis seu ingredi volentibus Ordinem nostrum nihil paenitus exigimus aut petimus.

⁷³cf. Regula sancti Benedicti, cap. 58.

⁷⁴cf. Ps 16, 4 ; cf. 2 Tim 2, 11.

⁷⁵cf. Cons. Cart. 22.1 ; cf. Mt 5, 23-24.

⁷⁶Lc 5, 11

12. Novitus publice non reprehenditur ; sed cum offendit instruitur a Priore, a Magistro vel a Vicario, qui tamen caveat ne se novitiorum regimi immisceat. Novitus vel iunior professus, quamdiu sunt sub regime Magistri, nec in communi colloquio nec in spatiamentis nec in operibus communibus cum sollemniter professis maneant. Ter vel quater in anno tamen, aut pluries iudicio Prioris, novitiatus sodales interesse possunt recreationibus vel spatiamentis cum professis sollempnium votorum, qui caveant ne iuniorum institutioni se immisceant; meminerint illorum spiritum religiosum vel etiam perseverantium e suo exemplo pendere posse. Novitus autem ab initio novae sua conversationis discat de fratribus cum caritate sentire et in silentio manere.

13. Novitiatus per duos annos protrahitur; quod tempus a Priore prorogari potest, non tamen ultra sex menses.

14. Si quis recipitur alterius Instituti religiosi professus perpetuus, sit novitus per quinque annos, quorum ultimum cum professis votorum sollempnium degat, et tunc officiis conventionalibus sacerdotis et diaconi fungi poterit.

Pro eius admissione ad novitiatum, fit ut supra dicitur (8.9) ; similiter post duos transactos annos, dein post duos alteros annos, ac tandem ante professionem sollempnem.

15. Novitiatus pro monachis claustris peractus, pro monachis laicis non valet, nec vice versa.

16. Novitus temptationibus non atteratur, quae sectatoribus Christi in eremo insidiari solent ; nec propriis fidat viribus, sed Domino credit, qui vocationem dedit et opus inceptum perficiet.

Capitulum 9

De Magistro novitiorum

1. Novitorum institutioni praeficiendus est Magister, qui sit vir prudentia, caritate et regulari observantia conspicuus, debita maturitate et experientia rerum Ordinis praeditus, cultor eximius quietis et cellae, qui amorem vocationis nostrae spiret, qui etiam diversitatem animorum intellegat, et iuniorum necessitatibus mentem apertam habeat. Ipsi insuper cavendum est ut, cum de perfectione spirituali alumnorum toto corde sollicitus sit, defectus etiam aliorum noverit excusare.

2. Valde consultum est ut conversationem cum professis votorum sollempnium non abscindat, quinimmo, ut colloquiis conventionalibus saepius intersit, quibus fratres vicissim melius innotescunt et mutua dilectio fovetur. Prior autem invigilet ne Magister secundariis negotiis occupetur, quippe qui cellae et quieti vacare debet, ut exemplum recollectionis apprime praebeat.

3. Magister circa receptionem novitiorum sollicitus sit et vigil, meritum anteponens numero. Ut enim re simul ac nomine cartusiensis quis fiat, velle non sufficit ; requiritur etiam, cum solitudinis et vitae nostrae amore, quaedam specialis animi et corporis aptitudo, unde noscatur divina vocatio. His attendat Magister, ad quem in primis pertinet tirones examinare et probare. Nec ignoret aliquos defectus, qui primo tempore parvi momenti forte videantur, post Professionem saepius crescere et augeri. Magna quidem res est aliquem recusare vel emittere, et non nisi maturo consilio decernenda ; aliquem autem recipere vel diutius retinere, cui necessarias dotes deesse constet, falsa est et quasi crudelis compassio. Caveat omnino Magister ut novitus plena cum libertate de proposito suo decernat nec eum ad Professionem faciendam ullo modo impellat.

4. Horis competentibus Magister visitabit novitium et ipsum observantias Ordinis docebit, quas novitium ignorare non oportet. Sedulo insuper curabit ut novitus Statutis Ordinis attente studeat. Magistri est etiam novitii mores informare, in spiritualibus exercitiis eum dirigere et temptationibus eius remedia opportuna adhibere. Sollicitus erit ut alumnorum dilectio in Christum et Ecclesiam in dies augeatur. Quamvis, ad exemplum sancti Patris nostri Brunonis, viscera matris habere debeat, vigorem

etiam patris eum oportet monstrare⁷⁷, ut tironis institutio monastica sit et virilis. Novitios maxime solitariam in cella vitam eiusque austeritatem experiri sinat, eosque doceat mutuum sibi praebere spirituale auxilium in caritate sincera et simplici⁷⁸.

5. Valde quidem prodest studiis et operibus manualibus novitium vacare ; nec tamen satis est ut celicola occupetur et ad mortem usque laudabiliter perseveret ; aliud requiritur : spiritus nempe orationis et precum. Deficientibus enim vita cum Christo et animae intima unione cum Deo, in caerimoniis fidelitas necnon regularis observantia parum proficerent, vitaque nostra corpori anima destituto iure compararetur. Nihil igitur antiquius habeat Magister quam spiritum hunc inculcare et discrete augere, quo novitii post Professionem magis in dies Deo appropinquent et vocationis sua finem assequantur.

6. Magister semper redire ad omnis vitae christianaee fontes, ad documenta monasticae traditionis et ad primigeniam Ordinis nostri inspirationem satagat. Spiritum sancti Patris nostri Brunonis plene elucidet et sanas traditiones, a Guigone principaliter collectas, ab ortu Ordinis fideliter servatas, tueatur.

7. Iuniores professi per tres primos Professionis temporariae annos sub Magistri novitiorum regimine remanent, cui valde curandum est ut eos ab initio quidem, sed maxime ultimo anno, solitudini et sanctae libertati vocationis nostrae gradatim assuefaciat. Cum ad sollemniter professos transierint, sub regimine Magistri novitiorum amplius non existunt.

8. Quater in anno, Magister coram Priore eiusque Consilio de statu singulorum novitiorum rationem reddat, et de iunioribus professis etiam interrogatus respondeat. Ipse quoque et Vicarius promovendos novitiatus tirones Conventui praesentare debent, defectus eorum et dotes clare et exacte exponentes. Ad Conventum enim, a Magistro certiore factum, spectat iudicare et de eorum admissione sententiam ferre.

9. Prior personalem novitiorum notitiam habeat oportet, atque eorum institutioni superintendant, ita tamen ut Magister eos debita cum libertate regere queat. Magister in rebus muneri sui ad Priorem libenter recurrat et novitios eandem fiduciam erga communem patrem habere doceat.

10. Novitii autem a secundo anno novitiatus studia incipient, quae ad eorum monasticam simul ac sacerdotalem institutionem parandam caute moderentur secundum praescripta Rationis studiorum. Monachi autem ad sacerdotium ne promoteantur donec, humana ac spirituali maturitate ditati, hoc Dei donum plenius participare valeant.

Capitulum 10 De Professione

1. Per Baptismum quidem mortuus peccato et Deo sacratus, monachus per Professionem Patri plenius devovetur et a mundo expeditur, ut ad perfectam caritatem rectius tendere possit. Domino firmo et stabili pacto sociatus, mysterium Ecclesiae Christo indissolubili vinculo coniunctae participans, mundo vitam novam, Redemptione Christi acquisitam, testificat⁷⁹.

2. Cum finis secundi anni novitiatus institerit, novitus, si receptibilis apparuerit, praesentetur Conventui, qui aliquot post dies, re diligenter examinata, sententiam ferat de eius admissione (cf. 8.9). Ipse autem nonnisi plena cum libertate et maturo consilio se obstringat.

3. Quod si novitus a Priore admissus fuerit, praemissis octo diebus recollectionis, Professione modo infra descripto faciat (36.8-10), et abhinc professus Domus in qua primam emisit Professionem remaneat.

⁷⁷Sanctus Bruno, Titulus funebris 1, PL 152, 554.

⁷⁸Instructio "Renovationis causam", 6 ianuarii 1969, 15, III.

⁷⁹cf. Vaticanus II, Lumen gentium 44.

4. Haec prima Professio ad triennium emittitur. Triennio autem elapso, Prioris est, post Conventus suffragium (8.9), iuniorem professum admittere ad duos annos cum professis votorum sollempnium degendos. Quo in casu monachus temporariam Professionem ad biennium renovabit. Per unum ex his duobus annis, regulariter quidem in secundo, a scholasticis studiis professurus liber sit, ut ad vota sollempnia consideratius se praeparet.

Notandum autem, quod tempus probationis professi votorum temporariorum, de iudicio Prioris, prorogari potest, sive post triennium antequam cum professis votorum sollempnium degere permittatur, sive post quinquennium antequam sollemnem Professionem emitat. Tempus tamen probationis sub votis temporariis sex annos excedere numquam debet.

Iusta autem de causa Capitulum Generale vel Reverendus Pater aliquem dispensare potest de tempore quo probatio votorum temporariorum necnon novitiatus protrahi debent, salvo Iure Ecclesiae universali.

5. Ante Professionem autem primam novitius cedat cui maluerit administrationem bonorum suorum, quorum conservat proprietatem per totum tempus quo temporariis votis astringitur, et de eorundem usu et usufructu libere disponat.

Ad has dispositiones iusta de causa mutandas et ad quemlibet actum ponendum circa bona temporalia, professus votorum temporariorum licentia Prioris Domus sua professionis indiget.

6. Quia discipulus, Christum sequens, omnia et semetipsum abnegare debet, ante Professionem sollemnem professurus omnibus bonis quae actu habet renuntiet; potest vero, si vult, tunc disponere de bonis ad quae ius habet. Nulla persona Ordinis aliquid omnino petat a professo temporario de rebus ipsius, etiam intuitu pietatis et eleemosynae quibuslibet personis facienda, sed de rebus suis ipse libere, prout voluerit, disponat.

7. Cum autem tempus sollemnis Professionis institerit, professurus quodam die Capituli, vel pridie, misericordiam petat et recipi postulet pro humillimo omnium servo. Tunc a duobus monachis, quos Prior designaverit, Conventui praesentetur, qui aliquot post dies de eius admissione sententiam ferat (cf. 8.9). Ad eum admittendum Prior indiget insuper consensu Reverendi Patris.

8. Die statuto professurus in Missa conventuali, post Evangelium vel Credo, Professionem emittit (36.13-14). Tunc enim oblatio suiipsius, quam cum Christo facere intendit, a Deo per manus Prioris accipitur et consecratur.

9. Professurus autem ipse sub hac forma et his verbis Professionem scribat: Ego Frater N. promitto stabilitatem et oboedientiam et conversionem morum meorum coram Deo et Sanctis eius, et Reliquiis istius eremi, quae constructa est ad honorem Dei, et beatae semper Virginis Mariae et beati Ioannis Baptistae, in praesentia Domni N. Prioris⁸⁰.

Post autem verbum promitto, si agatur de prima Professione temporaria, addatur ad triennium, et quando haec Professio prorogata erit, exprimatur tempus prorogationis; si autem de Professione sollemni agatur, dicatur perpetuam.

10. Notandum quod omnes eremi nostrae ad honorem beatae semper Virginis Mariae et beati Ioannis Baptistae primo dedicantur, quos maxime patronos in caelo habemus.

Cartula autem cuiusque emissae Professionis, ab ipso professo et a Priore, in cuius manus emissâ fuit, subscripta, cum indicatione diei et anni, servetur in tabulario Domus.

⁸⁰Cons. Cart. 23.1.

11. Professione facta, qui susceptus est, ita se ab omnibus quae mundi sunt intellegit alienum ut nullius prorsus rei, nec sui quidem ipsius, sine Prioris sui licentia habeat potestatem⁸¹. Cum enim ab omnibus qui regulariter vivere decreverunt oboedientia magno studio sit servanda, a nobis tamen tanto devotius ac sollicitius, quanto districtius asperiusque propositum subivimus, ne si, quod absit, illa defuerit, tanti labores careant praemio. Hinc Samuel, Melior est, inquit, oboedientia quam victimae, et auscultare magis quam offerre adipem arietum⁸².

12. Porro nullus Professionem, sive temporariam, sive sollemnem, facere potest, nisi proprio Priore praesente et celebrante. Qui si legitime fuerit praepeditus, deleget alium Priorem vel alium sacerdotem Ordinis nostri, ut Professionem in suo nomine recipiat; tunc in ipsa Professionis forma dicatur : in praesentia Domni N., a Domno N. Priore delegati. Rectores tamen Domorum Ordini incorporatarum possunt ad Professionem proprio nomine recipere.

13. Ad exemplum Iesu Christi, qui venit ut faceret voluntatem Patris et, formam servi accipiens, ex iis quae passus est didicit oboedientiam, monachus per Professionem Priori, vices Dei gerenti, se subicit, et ad mensuram aetatis plenitudinis Christi⁸³ pervenire contendit⁸⁴.

⁸¹Cassianus, *De coenobiorum Institutis* 2, 3.

⁸²cf. 1 Sam 15, 22 _ Cons. Cart. 25.2-3.

⁸³Heb 10, 9 ; 5, 8 ; Philp 2, 7 ; Eph 4, 13.

⁸⁴cf. Vaticanus II, *Perfectae caritatis*, 14.

- Liber 2 -

DE MONACHIS LAICIS

Capitulum 11

De monachis laicis

1. Ab exordiis Ordo noster, tamquam corpus cuius membra non eundem actum habent⁸⁵, patribus et fratribus constat qui, cum pariter sint monachi, eandem vocationem participant, sub diversis tamen formis, quibus cartusiensis familia perfectius suum in Ecclesia munus adimplere valet.

Quorum primi, de quibus hucusque egimus, monachi claustrorum sunt, qui in secreto suae cellae vivunt et ad sacerdotium provecti sunt vel provehendi. Alteri, de quibus nunc Domino iuvante dicemus, sunt monachi laici, qui non solitudini tantum, sed labori etiam manuum amplius incumbentes, vitam suam servitio Domini impendunt. Primis fratribus seu conversis decursu temporis altera species fratrum adiuncta est, donatorum scilicet, qui sine votis, mutuae obligationis vinculo Ordini se tradunt propter amorem Christi. Cum vitam monasticam ducant, eos etiam monachos vocamus.

2. Sicut primi institutionis nostrae patres antiquorum illorum monachorum vestigia calcaverunt, qui solitariam vitam et paupertatem spiritus professi sunt, ita simile propositum prosequi primi fratres nostri, Andreas scilicet et Guarinus, decreverunt. Oportet igitur conversos et donatos e finibus eremi non egredi nisi raro necessitateque cogente, et a rumoribus saeculi se diligenter servare alienos. Illorum demum cellae ita seclusae sint ut intrantes in cubiculum, clauso ostio, cunctisque curis et sollicitudinibus foris relictis, Patrem in abscondito quiete orare valeant⁸⁶.

3. Absconditam Iesu vitam in Nazareth imitantes, fratres, tempore quo cotidianos Domus labores adimplent, Dominum in operibus suis laudant, mundum gloriae Creatoris consecrantes resque naturales ad contemplativae vitae servitium ordinantes ; horis vero solitariae orationi dicatis, cumque divinis actionibus intersunt, soli Deo vacant. Loca ideo ubi laborant, sicut ea in quibus habitant, ita debent esse disposita ut animi recollectioni faveant et, quamvis necessariis et utilibus munita, mansio revera Dei, non profanae aedes, esse appareant.

4. Domini amore, oratione, zelo solitudinis et laboris ministerio coadunati, fratres sub Procuratoris moderatione in unum colliguntur. Seipsos igitur veros Christi discipulos non tam nomine quam opere demonstrent, mutuae dilectioni studeant, id ipsum sentientes ac invicem supportantes, sibimetipsis donantes si quis adversus aliquem habet querelam, ut sint cor unum et anima una⁸⁷.

5. Fratres, propriam solitariae vitae formam servantes, necessitatibus Domus, speciali modo sibi commissis, labore subveniunt. Quo auxilio iuvati, monachi claustrorum silentio cellae liberius vacare possunt.

Utrique ergo, Ei qui non venit ministrari sed ministrare conformes⁸⁸, alii aliter divitias exprimunt vitae in solitudine totaliter Deo dicatae.

⁸⁵cf. Rom 12, 4.

⁸⁶cf. Mt 6, 6.

⁸⁷Rom 12, 16 ; cf. Col 3, 13 ; cf. Act 4, 32.

⁸⁸cf. Mt 20, 28.

Diversa est igitur, in uno corpore, utriusque vitae gratia, sed inter eas aliqua intercedit spiritualium beneficiorum communicatio, et ad invicem ita se habent ut altera alteri complementum praebeat. Quia consonantia illud charisma, quod Spiritus Patri nostro Brunoni concredidit, plenitudinem suam obtinet.

6. Patres, Ordinibus sacris quibus sunt insigniti, non tam dignitatem quam servitium accepisse noverunt. Sacerdotium etiam ministeriale et sacerdotium baptismale laicorum ad invicem ordinantur; unum et alterum de uno Christi sacerdotio participant⁸⁹. Unusquisque ergo, ad unum finem propositi nostri recto cursu properans, in vocatione perseveret in qua vocatus est.

7. Prioris est omnibus filiis suis, monachis scilicet claustrorum et laicis, in se ipso exhibere Patris caelestis dilectionis signum, ac illos in Christo ita colligere ut una efficiantur familia et unaquaque Domus nostra, secundum Guigonis verbum, vere sit cartusiensis ecclesia⁹⁰.

8. Quae radicem et cardinem habet in Eucharistici Sacrificii celebratione⁹¹, quod est signum efficax unitatis. Est etiam vitae nostrae centrum atque culmen, necnon viaticum spiritualis nostrae Exodi qua in solitudine per Christum ad Patrem revertimur. Per totum etiam Liturgiae cursum Christus pro nobis, ut Sacerdos noster, et in nobis, ut nostrum Caput, orat⁹².

9. Et quoniam Institutorum nostrorum vestigia premere tutissima ad Deum via est, fratres ut exemplaria pree oculis habeant primos Cartusiae conversos qui, nulla adhuc scripta regula, vitae eorum formam ac spiritum tribuerunt.

Quorum memor, sanctus Bruno, corde exsultans, talia scripsit : De vobis, dilectissimis fratribus laicis, dico : Magnificat anima mea Dominum, quia magnificentiam misericordiae suae super vos intueor. Gaudemus enim quoniam, cum scientiae litterarum expertes sitis, potens Deus digito suo inscribit in cordibus vestris, non solum amorem, sed et notitiam sanctae legis suae. Opere enim ostenditis quid amatis, quidve nostis. Nam cum oboedientiam veram cum omni cautela et studio observatis – quae est exsecutio mandatorum Dei, et clavis ac signaculum totius spiritualis disciplinae, quae numquam est sine multa humilitate et egregia patientia, quam semper comitatur castus amor Domini et vera caritas – manifestum est vos sapienter legere ipsum fructum suavissimum et vitalem Scripturae divinae. Ergo, fratres mei, permanete in eo ad quod pervenistis⁹³.

Capitulum 12

De solitudine

1. Praecipue studium et propositum nostrum est in silentio et solitudine Deum invenire. Ibi enim Dominus et servus eius saepe colloquuntur sicut vir ad amicum suum⁹⁴, crebro fidelis anima Verbo Dei coniungitur, sponsa Sponso sociatur, terrenis caelestia, humanis divina uniuntur⁹⁵. Plerumque tamen longum est iter quo, per viam aridam et inaquosam, usque ad fontem aquae vivae peregrinatur.

2. Fratri quidem solitudo exterior attento studio sectanda est, quae saepe non protegitur claustrorum secessu cellaeque custodia. Exterior vero solitudo nihil prodest nisi mentis quoque solitudo omni tempore, etiam inter laborandum, custodiatur, absque tamen animi contentione.

⁸⁹cf. Vaticanus II, Lumen gentium, 10.

⁹⁰Guigo, Epistola ad Remensis episcopum.

⁹¹cf. Vaticanus II, Presbyterorum Ordinis, 6.

⁹²Sanctus Augustinus, In Ps 85, PL 37, 1081.

⁹³Sanctus Bruno, ad filios suos Cartusienses, 3-4.

⁹⁴cf. Ex 33, 11.

⁹⁵cf. Guillelmus de Sancto Theoderico, Epistola ad Fratres de Monte Dei, PL 184, 314.

3. Quoties Officio divino in ecclesia vel operibus in oboedientiis non occupantur, fratres ad cellam semper recurrent quasi ad tutissimum et quietissimum portus sinum. In qua quiete et sine ullo quantum fieri potest strepitu manent⁹⁶, ordinem exercitiorum fideliter sequentes et omnia coram Deo facientes in nomine Domini Iesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per Ipsum⁹⁷. Ibi sese utiliter occupant legendo aut meditando, maxime Sacram Scripturam quae est animae cibus⁹⁸, aut intendunt orationi quantum possunt⁹⁹, nullas occasiones egrediendi foras vel machinantes vel recipientes, exceptis his quae generaliter institutae sunt aut ex oboedientia oriuntur. Naturalis homo quippe interdum a silentio solitudinis et quiete refugit ; unde et beatus Augustinus dicit : Amicis huius mundi nihil esse laboriosius quam non laborare¹⁰⁰. Fratres possunt etiam aliquando, propter spirituale bonum, quibusdam parvis laboribus de consensu Procuratoris in cella incumbere.

4. In specialibus adiunctis Prior, de Visitatorum consensu, permettere potest ut aliqui fratres cellas claustrorum occupent, servato patrum silentio et solitudine.

5. Singulis annis conversi per octo dies, sive continuos sive in duo spatia divisos, quietem et solitudinem cellae tenent ; donati vero saltem per tres dies. Unicuique etiam fratri licet, si libet, semel in mense, aliquo die operibus deputato, eiusmodi recollectioni vacare.

6. Caritatis erga fratres nostros primus actus est ipsorum solitudinem observare ; si de aliquo negotio colloqui in eorum cella permittimur, vanos sermones vitemus.

7. Cellam alterius sine licentia non intramus. Qui autem permissus venit, pulsat ad ostium et exspectat donec habitator cellae portam aperuerit ; tunc huiusmodi licentiam habens religiose salutat.

8. Ut fratres propositum suum melius consequantur, eorum labor ita dividatur ut unusquisque, quantum fieri potest, solus operetur, etiamsi in eadem oboedientia plures sint fratres.

9. Postquam pulsata est vespertina campana ad Salutationem Angelicam, ad Prioris cellam vel Procuratoris fratres non veniunt nisi vocati. Ab eo tempore cum hospitibus ii soli remaneant qui hospitibus inserviunt. Cum vero est aliquis in alterius cella vel alibi, audita ista vespertina campana statim recedere debet, nisi maiorem moram faciendi speciale habeat mandatum.

10. Quid vero solitudo eremique silentium amatoribus suis utilitatis iucunditatisque divinae conferat, norunt hi soli qui experti sunt. Hic pro certaminis labore repensat Deus athletis suis mercedem optatam, pacem videlicet quam mundus ignorat et gaudium in Spiritu Sancto¹⁰¹.

Capitulum 13

De clausura

1. Quoniam saeculum pro semper reliquimus ut divinae Maiestati incessanter assisteremus, proprii munieris memores, egredi et circumire per loca et civitates horremus. Tantum autem clausurae rigorem servare nihil prodesset, nisi per eam ad illam puritatem cordis tenderemus cui soli Deum videre promittitur¹⁰². Ad quam consequendam magna requiritur abnegatio, naturalis praesertim curiositatis

⁹⁶cf. Cons. Cart. 43.6.

⁹⁷cf. Col 3, 17.

⁹⁸cf. Vaticanus II, Dei Verbum, 21.

⁹⁹Cons. Cart. 43. 4.

¹⁰⁰Sanctus Augustinus, De vera religione 35, PL 34, 151.

¹⁰¹Sanctus Bruno, ad Radulphum, 6.

¹⁰²cf. Mt 5, 8.

quam circa humana homo experitur. Non debemus novitatum et rumorum quaestu animum nostrum per mundum vagari sinere. Sed contra, in abscondito faciei Domini occultos manere¹⁰³ pars nostra est.

2. Exteriora negotia, in quantum fieri potest, alicui saeculari mandentur, ne ipsi fratres ad villas et urbes ire cogantur¹⁰⁴.

3. Fratres extra clausuram non egrediuntur absque Prioris vel Procuratoris licentia. Sic egressi, ad locum quo ire necesse habent vadunt, sed non ad alium, omnia vitantes quae solitudinis affectum in eis debilitare possint. Quilibet, cum foras mittitur, quam citius commode potest reverti debet et Procuratori de negotio sibi commisso rationem reddere.

4. Quod si qua eorum quae in mundo geruntur notitia ad nos casu pervenerit, caveamus ne eam aliis tradamus, sed potius saeculares rumores, ubi eos audivimus, ibi dimittamus¹⁰⁵. Prioris est enim ea monachis suis referre, de vita Ecclesiae praesertim et de necessitatibus eius, quae non oportet eos ignorare.

5. Quando frater ad vicina loca mittitur, nec escam nec potum a quoquam nec hospitium recipit, nisi aut specialiter iussus aut aliqua inevitabili et inopinata necessitate coactus¹⁰⁶.

6. Ostiarius sit erga omnes benignus, religiose compositus et a multiloquio omnino abstineat ; sic enim saecularibus bono proderit exemplo. Si quos autem admittendos vel mansuete repellendos duxerit, id faciat amoenis sed paucissimis verbis. Idipsum servare iubetur quicumque vices eius exsequitur¹⁰⁷.

7. Cum scriptum sit : Patrem tuum et matrem tuam honora¹⁰⁸, nostrum a mundo secessum aliquantum solvimus pro parentibus aliisve propinquis nostris, quos duobus diebus in anno, sive disiunctis sive continuis, nos visitare permittimus. Alias vero, nisi Christi caritate aliqua inevitabilis necessitas nobis imponatur, amicorum visitationes et saecularium colloquia vitamus. Scimus enim Deum dignum esse cui hoc sacrificium offeratur, illudque magis quam sermones nostros hominibus profuturum.

8. Vana etiam esset exterior clausura, si cum extraneis per epistolas frequens haberemus commercium. Litteras nec mittimus nec recipimus, nisi sciente Priore. Ab hac lege eximuntur litterae quae ad Capitulum Generale, ad Reverendum Patrem, ad proprios Visitatores, ad Procuratorem Generalem, ad Scribam necnon ad Sanctam Sedem scribuntur, aut ab eis recipiuntur. Ii etiam qui sub regimine Magistri sunt, liberum cum ipso commercium epistolare habent. A privatis autem colloquiis telephonicis, nisi gravibus in adjunctis, abstinemus.

9. Meminerimus etiam saeculares a cartusiensi non exspectare sermonem de vanis rumoribus et de publicis negotiis ; ideo profana et vaniloquia devitantes¹⁰⁹, nihil nisi coram Deo in Christo scribamus.

10. Verumtamen familiaritas cum Deo cor non angustat sed dilatat, ita ut in Ipsa studia et difficultates mundi, magnasque Ecclesiae causas amplecti valeat, quarum par est monachos aliquam notionem habere. Sincera tamen hominum sollicitudo non curiositatis satisfactione, sed intima Christi societate gerenda est. Unusquisque, Spiritum intra se auscultans, discernat quae in mentem admittere valeat quin divinum perturbetur colloquium.

¹⁰³cf. Ps 30, 21.

¹⁰⁴cf. Cons. Cart. 50.2.

¹⁰⁵cf. Cons. Cart. 62.2.

¹⁰⁶Cons. Cart. 76.1

¹⁰⁷cf. Cons. Cart. 64.1.

¹⁰⁸Ex 20, 12.

¹⁰⁹cf. 2 Tim 2, 16.

11. Quodlibet igitur diarium in quo de rebus politicis tractatur, tamquam spiritui Ordinis contrarium, a monacho nullo modo legi debet. Immo Piores fratibus suadeant ut in profanis lectionibus valde sobrii sint. Sed haec exhortatio animum requirit maturum et sui iuris¹¹⁰, qui sciat sincere amplecti omnes consequentias optimae partis quam elegit, sedere scilicet ad pedes Domini et audire verbum illius¹¹¹.

12. Qui de Ordine nostro non sunt nec ad ipsum Ordinem aspirant in parte aedium fratibus reservata, in quantum possibile, ne hospitentur.

13. In Domibus nostris canonice constitutis servatur stricta clausura iuxta traditionem Ordinis. Intra clausuram mulieres admitti nequeunt. Quando cum mulieribus loquimur, eam modestiam, quae monachum decet, servamus.

14. Praeclarum caelibatus charisma, divina gratia concessum, cor nostrum singulariter expedit ut, a Christo comprehensus, unusquisque nostrum totum pro Eo se impendat. Nullum locum relinquit animo angusto nec studio propriae utilitatis, sed cum respondeat ineffabili amori quem Christus nobis exhibuit, amorem in nobis ita amplificare debet ut, invitamento cui nequit resisti, animam ad perfectius semper sui ipsius sacrificium accendat¹¹².

15. Sit igitur in solitudine anima monachi velut lacus tranquillus cuius fluctus, e purissimo fonte spiritus orientes, nec ullo rumore, ab auditu foris introducto, turbati, tamquam speculum nitidum solam Christi ferant imaginem¹¹³.

Capitulum 14 De silentio

1. In solitudinem duxit Deus servum suum ut loqueretur ad cor eius¹¹⁴, sed is tantum qui auscultat in silentio percipit sibilum aurae tenuis qui Dominum manifestat¹¹⁵. Etsi primis temporibus nobis tacere labor, gradatim, si fideles fuerimus, de ipso silentio nostro aliquid nascetur in nobis quod ad plus silentii nos attrahet¹¹⁶.

2. Non igitur passim licet fratibus quod vel cum quibus vel quamdiu voluerint loqui¹¹⁷. Possunt de suo labore utilibus loqui, sed paucis verbis voceque modesta. Praeter ea quae ad utilitatem laboris pertinent, nonnisi cum licentia loqui possunt sive cum monachis sive cum extraneis.

3. Cum ergo observatio silentii in vita fratrum maximi sit momenti, oportet ut haec norma sedulo observetur. In casibus tamen dubiis, quos lex non praevidet, unusquisque discrete iudicium ferat utrum liceat sibi loqui et quantum, iuxta conscientiam et necessitates.

4. Devotio erga inhabitantem Spiritum et caritas erga fratres suos expostulat ut numerum et mensuram verborum suorum fratres ponderent quando eis sermonem licet inire. De colloquio enim longe et inutiliter protracto credendum est, quod magis contristat Spiritum Sanctum et dissipationem infert, quam pauca verba etiam illicita sed mox interrupta. Saepe collocutio initio utilis, cito fit inutilis et postea reprehensibilis.

¹¹⁰Guigo, Epistola De vita solitaria, 5.

¹¹¹cf. Lc 10, 39.42.

¹¹²Paulus VI, Encyclia "Sacerdotalis coelibatus", 24 iunii 1967, A. A. S. 1967, 666.

¹¹³Basilus Ancyranus, De virginitate, PG 30, 765.

¹¹⁴Os 2, 14.

¹¹⁵cf. 1 Reg 19, 12.

¹¹⁶Isaac Niniviticus, De perfectione religiosa, cap. 65, Ed. Bedjan, p. 450.

¹¹⁷cf. Cons. Cart. 44.2.

5. Fratres cum in aliquem locum conveniunt, qui praeest, tacentibus aliis, adventantibus vel obviantibus respondet¹¹⁸.

6. Obviantes etiam sibi invicem, amica alacritate et humili supplicatione mutuo locum dantes, servato pertranseunt silentio¹¹⁹.

7. Dominicis et Sollemnitatibus, necnon diebus specialiter recollectioni deputatis, diligentius silentium servant et cellam custodiunt. Omnibus etiam diebus post vespertinam Salutationem Angelicam usque ad Primam silentium perfectum ubique in Domo vigere debet, quod non possumus infringere nisi vera urgeat necessitas. Nam hoc tempus noctis, iuxta Scripturae exempla veterumque monachorum sensum, recollectionem Deique occurrsum singulari modo fovet¹²⁰.

8. Fratres, sine licentia Prioris, cellas patrum ne ingrediantur, nisi pro opere aliquo necessarie perficiendo et non inconsulto cellae incola, nec cum patribus ubique in Domo loquantur. Possunt quidem suum confessarium vel spiritus moderatorem adire, sed cum eo non nisi de necessariis pro animae iuvamine sermocinentur. In claustrum mercenarios sine licentia ne introducant. Quando etiam patrum Conventus vadit ad ecclesiam vel regreditur, caveant, in quantum fieri potest, ne claustri tranquillitas turbetur.

9. Cum personis Ordinis vel aliis, qui interdum ad Domos nostras adventant, loqui nobis non licet sine Praesidentis licentia, quam ipsi nec quaeramus nec cupiamus, nisi legitima ratio aliud postulet. Non enim cultori solitudinis silentiique tenaci et avido quietis conductit aut alios invisere aut ipsum ab aliis visitari absque causa.

10. Ne presumant etiam fratres sine licentia cum supervenientibus saecularibus loqui vel fabulari, sed obviantes vel supervenientes tantum licet resalutare, ad interrogata breviter respondere, et quod amplius loquendi cum eis licentiam non habent excusare¹²¹.

11. Silentii custodia et animi recollectio speciale a fratribus requirunt vigilantiam, quibus occurunt multae occasiones colloquendi. In hoc perfecti esse non poterunt nisi ambulare coram Deo¹²² diligenter contendenterint.

Capitulum 15 De labore

1. Fratres statutis horis operibus incumbunt, ut, necessitatibus Domus subvenientes, labore suo cum Iesu fabri filio, universam creaturam ad laudem gloriae Dei convertant et Patrem glorificant dum totum hominem operi Redemptionis consociant. In sudore enim et fatigatione laboris reperiunt particulam crucis Christi, ex qua propter lumen eius resurrectionis, participes efficiuntur novorum caelorum et terrae novae¹²³.

2. Iuxta antiquas monachorum traditiones, talis labor ad exercitium virtutum in via perfectae caritatis multum confert. Eo enim, homo interior et exterior aequa temperantur, ita ut fratribus melius proficiat solitudo.

3. De oboedientiis et de omnibus quae habent fratres faciunt secundum Prioris et Procuratoris dispositionem, vires naturae et gratiae dona in expletione munerum sibi commissorum conferentes. Sic

¹¹⁸Cons. Cart. 44.1.

¹¹⁹Cons. Cart. 72.2.

¹²⁰cf. Lc 6, 12 ; Ps 76, 7 ; 118, 55.62 ; 133, 2 ; Is 26, 9.

¹²¹cf. Cons. Cart. 44.3 _ Regula sancti Benedicti, cap. 53.

¹²²cf. Gn 17, 1.

¹²³cf. Ioannes Paulus II, Encyclia "Laborem exercens", n. 27, A. A. S. 1981, p. 646.

per oboedientiam ampliatur libertas filiorum Dei, et hoc voluntario obsequio ad aedificationem Corporis Christi secundum Dei propositum operam praestant¹²⁴.

4. Procurator erga fratres, sicut Oboedientiarius erga adiutorem, in spiritu servitii auctoritatem exerceant, ita ut caritatem qua Deus illos diligit exprimant. Libenter eos consulant vel audiant, firma sua auctoritate decernendi et praecipiendi quae agenda sunt. Sic omnes in munib[us] obeundis activa et dilectione plena oboedientia cooperantur¹²⁵.

5. Christo Iesu, qui propter nos egenus factus est cum esset dives¹²⁶, adhaerentes, fratres semper in spiritu paupertatis laborant. Omnem praeferunt rerum dissipationem vitant, et ne instrumenta perdantur vigilant. Similiter de bona conservatione instrumentorum, maxime machinarum, diligenter curant.

6. Procuratori ostendunt, si voluerit, res et instrumenta oboedientiarum, nec aliquid pertinens ad oboedientiam sibi commissam ad proprium usum convertunt.

7. Oboedientiarius sine licentia nihil dare vel recipere potest ; nec ullum opus facit monachis, nisi ea quae de institutione eis debentur. Si qua necessitas acciderit, absente Procuratore, frater ita faciet quemadmodum ipsum, si adesset, facturum fuisse existimaverit, redeunque quid et quomodo egerit indicabit¹²⁷.

8. Oboedientiarius aliquem in suam oboedientiam, nisi causa necessitatis, introducere non potest ; introductus transacta necessitate statim recedat, verbis superfluis praetermissis¹²⁸.

9. Omnes fratres, etiam Oboedientiarii, alias oboedientias cum opus est et eis iniungitur libenter iuvare debent, alter alterius onera cum gaudio portantes¹²⁹.

10. Recollectio mentis in laborando fratrem ad contemplationem ducet. Ad quam recollectionem assequendam semper in operando ad breves et quasi iaculatas orationes recurrere licet, et nonnumquam etiam opera brevi oratione interrumpere¹³⁰.

11. Ad eandem recollectionem tuendam, cavendum est ne fratribus opera committantur quae a monastico proposito eos abstraherent, neve ipsi in mercaturis curam impendant, nisi ii qui Procuratorem adiuvant in rebus oeconomicis administrandis.

12. Cum mercenariis fratres ne laborent ; attamen, si aliquando hoc vitari non possit, ad tale opus iuniores fratres ne mittantur, sed antiquiores et fideliores. Nulli saeculari habitualiter subiciantur. Cum mulieribus ne operentur, nec in aedibus ubi commorantur mulieres.

13. Fratres, omnia propter Deum agentes, non propter delectationem propriam, observantiam regularem diligunt. Fidelissime ergo statutam temporis dispositionem sequuntur. Quandocumque pulsatur signum quo ad ecclesiam ipsi convenire debent, ad eam, ubicumque sint, praetermissis omnibus properant¹³¹.

14. Qui laborem determinatum non habent, tempore a Procuratore statuto veniunt ad eum. Procurator et Oboedientiarii laborem ita disponere satagant ut fratres, horis institutis, silentio cellae et orationi

¹²⁴cf. Vaticanus II, Perfectae caritatis, 14.

¹²⁵Ibidem.

¹²⁶2 Cor 8, 9.

¹²⁷cf. Cons. Cart. 46.2.

¹²⁸Ibidem.

¹²⁹cf. Gal 6, 2.

¹³⁰Cons. Cart. 29.3.

¹³¹cf. Regula sancti Benedicti, cap. 43.

possint vacare ; quo tempore, si specialis laboris inopinata necessitas urgeat, talis labor potius committatur fratri qui divino Officio nocturno non interfuturus sit.

15. Oboedientiae quae inter se frequens habent commercium, sicut coquina et dispensa, ita disponantur ut caritas et concordia inter eas regnent ac vitentur fractiones silentii. Omnia enim manifestare debent quam bonum et quam iucundum sit habitare fratres in unum¹³².

16. Alienam oboedientiam nulli intrare licet nisi permisso. Coquinarius, vel eo absente adiutor eius, ac Dispensator, in propria oboedientia comedere possunt. Nullus alius in coquina comedat et bibat, nisi forte de licentia Prioris, et raro.

17. Infirmary, ac etiam Coquinarius iisque qui specialibus infirmorum necessitatibus providere habent, infirmitate afflictos amore circumdant, immo in patientibus imaginem Christi patientis agnoscant, laetantes quia Christo in eis inservire et eum sublevare possunt.

18. Vita fratris in primis ad hoc ordinatur ut Christo unitus in eius dilectione maneat¹³³. Sive ergo in cellae solitudine, sive etiam in laboribus suis, in mente semper Deum habere¹³⁴, iuvante vocationis gratia, toto corde studeat.

Capitulum 16

De abstinentia et ieunio

1. Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia eius¹³⁵. Quod praestamus tum aerumnas et anxietates huius vitae suscipiendo, tum paupertatem in filiorum Dei libertate amplectendo propriaeque voluntati abrenuntiando¹³⁶. Secundum monasticam traditionem autem, nostrum est insuper Christum in deserto ieunantem sequi, corpus castigantes et in servitutem redigentes¹³⁷, ut mens desiderio Dei fulgeat¹³⁸.

2. Unam abstinentiam qualibet hebdomada faciunt conversi, regulariter feria sexta ; quo die laudandi sunt qui, iuxta antiquas consuetudines Ordinis, pane et aqua contenti sunt¹³⁹. Certis autem temporibus ac diebus ieunium Ordinis servant, in quo nonnisi semel in die reficiuntur (cf. cap. 48).

3. Mortificatio carnis non propter obsequium Statutorum solummodo amplectenda est, sed praecipue ut a voluntate carnis exonerati alacrius post Dominum incedamus.

Quod si quis, in aliquo casu vel tempore procedente, expertus sit aliquam ex observantiis nostris vires suas superare, et ob eam animum suum in sequela Christi retardari magis quam incitari, temperamentum sibi congruum filiali corde cum Priore statuat, saltem ad tempus. Sed, Christi vocantis semper memor, quid valeat facere discernat et, quod Domino per communem observantiam praestare nequit, alio modo offerat, abnegans semetipsum et crucem suam cotidie tollens¹⁴⁰.

4. Novitios ergo paulatim assuescere oportet abstinentiis et ieuniis Ordinis, ut ad rigorem observantiae prudenter et secure contendant sub moderamine Magistri. Qui eos praesertim invigilare doceat ne, sub praetextu ieuniorum quae eis sustinenda sunt, tempore refectionis sobrietatem

¹³²Ps 132, 1.

¹³³cf. Io 15, 9.

¹³⁴cf. Tb 4, 6.

¹³⁵1 Pe 2, 21.

¹³⁶cf. Vaticanus II, Lumen gentium, 42.

¹³⁷1 Cor 9, 27.

¹³⁸cf. Oratio Feria III post Dominicam I Quadragesimae.

¹³⁹Cons. Cart. 52.1.

¹⁴⁰Lc 9, 23.

transgrediantur. Sic discent spiritu facta carnis castigare, ac mortificationem Iesu in corpore suo ferre ut et vita Iesu manifestetur in corporibus suis¹⁴¹.

5. Secundum observantiam a primis Patribus nostris introductam singularique studio semper custoditam, omnem esum et sumptionem carnium a nostro proposito abiecamus. Quae abstinentia observetur, ut Ordinis proprium atque signum eremitici rigoris in quo Deo dante perseverare intendimus.

6. Alienum esset a cartusiana sobrietate et voluntaria paupertate de victualibus murmurare, maxime coram Conventu. Non tamen per hoc prohibere intendimus quin quilibet suas necessitates cum modestia et animi resignatione Priori exponere possit, qui suis monachis necessaria iuxta formam Ordinis sufficienter providebit.

7. Omni tempore frugalitas servetur in cibis, etiam occasione festorum, quamvis tunc liceat aliquo modo laetitiam cordium exterius manifestare. Quod si Prior aliquos abusus forte introductos refrenandos aestimaverit, omnes laeto corde ad eius mandatum se conforment.

8. Paenitentiae exercitiis, praeter ea quae his Statutis docentur, nullus nostrum indulget, nisi Priore sciente et favente. Sed et si cui Prior pitantiam aliquam, seu cibi seu somni, vel alterius cuiuslibet rei facere, aut durum et grave aliquid imponere voluerit, repugnare fas non habemus, ne, cum ei restiterimus, non ei sed Domino, cuius erga nos agit vices, restitisse inveniamur. Licet enim multa sint et diversa quae observamus, nihil tamen sine oboedientiae bono nobis fructuosum futurum speramus¹⁴².

Capitulum 17 De novitio

1. Qui, divino ferventes amore, saeculum relinquere et aeterna captare cupiunt¹⁴³, cum ad nos venerint, eodem spiritu a nobis recipientur. Valde ergo oportet ut novitios, Domibus ubi instituendi sunt, exemplum observantiae regularis et pietatis, solitudinis et silentii invenire, necnon caritatis inter fratres. Quae si defecerint, vix sperandum est ut in proposito nostro perseverare possint.

2. Candidati autem qui ad nos veniunt, sedulo et circumspecte examinandi sunt, secundum monitum Ioannis Apostoli : Probate spiritus, si ex Deo sint¹⁴⁴. Certo quippe constat ex bona vel mala receptione et institutione novitiorum, profectum vel defectum Ordinis, tam in merito quam in numero personarum, praecipue pendere.

Priores itaque de illorum familia, vitaque anteacta, necnon de mentis corporisque habilitate caute inquirere debent ; qua de re prudentes medicos etiam consultare iuvabit, qui propositum nostrum bene noverint. Inter dotes enim quibus pollere debent candidati ad vitam solitariam, temperatum et sanum iudicium imprimis adnumerandum est.

3. Novitios, antequam vigesimum annum attigerint, recipere non solemus ; insuper ex eis qui postulant admitti, ii tantum accipientur qui, iudicio Prioris et maioris partis Conventus, sint religione, maturitate et corporis viribus suffientes ad portanda onera Ordinis ; ad solitudinem quidem, sed etiam ad vitam communem satis apti.

¹⁴¹cf. Rom 8, 13 ; cf. 2 Cor 4, 10.

¹⁴²cf. Cons. Cart. 35.1-3.

¹⁴³cf. Sanctus Bruno, ad Radulphum, 13.

¹⁴⁴1 Io 4, 1.

4. In receptione vero personarum provectionis aetatis circumspectiores simus oportet, cum observantiis et formae vitae nostrae difficilius assuescant ; ideo nolumus ut ullus ad statum conversorum aspirans recipiatur post peractum quadragesimum quintum annum sine expressa licentia Capituli Generalis vel Reverendi Patris. Quae licentia etiam requiritur ut religiosus qui in alio Instituto vinculo professionis obstringitur, ad novitiatum admittatur ; et si agatur de professo votorum perpetuorum, Reverendus Pater consensu Consilii Generalis indiget. Pro admissione personae quae aliquando votis in Instituto religioso obstricta fuerit, Reverendum Patrem prius audire suademur.

5. Qui quocumque titulo in Domibus nostris vixerunt et postea exierunt, in alia vel in eadem Domo ne recipientur, quin Reverendus Pater consulatur, et Superiores qui tales personas noverunt. Qui in Ordine nostro novitius vel professus iam antea exstiterit, probationem ab initio resumit.

6. Cum quis ad nos venit petens fieri noster frater, opus est ut nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur et ad Ordinis onera ferenda sit idoneus. Quapropter rite interrogetur de omnibus quorum notitia necessaria vel opportuna videtur ad rectum iudicium de eius admissione ferendum.

7. His peractis, candidato finis vitae nostrae declaratur et gloria quam ex nostro consortio cum Redemptionis opere Deo obvenire speramus, et quam bonum sit et iucundum omnibus relictis Christo adhaerere. Sed et dura quoque ipsi proponuntur et aspera, totaque ratio vitae quam subire desiderat prout fieri potest ante oculos ponitur. Ad quae si imperterritus manserit, et promptissime spoponderit propter verba labiorum Domini se custoditurum esse vias duras, Christo commori et convivere volens¹⁴⁵, tunc demum suadetur ei omnibus qui adversus eum aliquid habent iuxta Evangelium reconciliari¹⁴⁶.

8. Postquam aliquot dies commoratus fuerit apud nos, si Priori constiterit aspirantem recipi posse, mantellum postulantibus proprium accipiet de manu Magistri novitorum. In laboribus quibusque et oboedientiis exercebitur et divino Officio intererit, ut novae vitae quantocius assuescat. Antequam novitiatum incipiat, per saltem tres menses nec ultra annum in Domo probabitur.

9. Si postulans repertus fuerit humilis, oboediens, castus, fidelis, religiosus, bene temperatae indolis, aptus ad solitudinem, et in operibus strenuus, tunc proponi poterit Conventui, donatis perpetuis non exceptis. Quae praesentatio fit a Vicario, Procuratore et Magistro, qui dotes et defectus postulantis clare et exacte exponant. Et si totus Conventus vel maior pars eum recipiendum iudicaverit, praemissis saltem quattuor diebus recollectionis, Prioris est eum in societatem Ordinis sub habitu monachali recipere.

10. Novitius, cum omnia relinquere intendat ut Christum sequatur, pecunias et alias res suas, quas secum forte attulerit, Priori ex integro reddat, ut non ipse sed Prior vel cui Prior iniunxerit eas custodiat. Nos autem ab ingredi volentibus Ordinem nostrum ac novitiis nihil paenitus exigimus aut petimus.

11. Novitiatus pro monachis laicis peractus, pro monachis claustris non valet, nec vice versa.

12. Novitiatus per duos annos protrahitur ; quod tempus a Priore prorogari potest, non tamen ultra sex menses. Candidatus, saltem antequam secundum annum incipiat, inter viam conversorum et viam donatorum eligat, sponte quidem et plena cum libertate.

13. Candidatus qui cum votis perpetuis ex alia Religione ad nostram transit, postulatu ut supra diximus completo, si idoneus sit, admittitur ad novitiatum conversorum, in quo quinque annos manebit antequam ad sollemnem Professionem admittatur.

¹⁴⁵cf. Ps 16, 4 ; cf. 2 Tim 2, 11.

¹⁴⁶Mt 5, 23-24 _ cf. Cons. Cart. 22.1 et 73.1.

Pro eius admissione ad novitiatum fit ut supra dicitur (8.9) ; similiter post duos transactos annos, dein post duos alteros, ac tandem ante Professionem sollemnem.

14. Si quis in secundo donatorum novitiatus anno constitutus, vel post factam donationem, ad statum conversorum transiturus sit, ad Priorem pertinet ordinem totius probationis determinare, ita ut ista saltem per septem annos et tres menses extendatur, et normae Iuris serventur. Similiter fit quando conversus, novitus vel professus votorum temporiorum, ad donatorum statum transit.

15. Novitus temptationibus non atteratur, quae sectatoribus Christi in eremo insidiari solent ; nec propriis fidat viribus, sed Domino credit, qui vocationem dedit et opus inceptum perficiet.

Capitulum 18 De Professione

1. Per Baptismum quidem mortuus peccato et Deo sacratus, monachus per Professionem Patri plenius devovetur et a mundo expeditur, ut ad perfectam caritatem rectius tendere possit. Domino firmo et stabili pacto sociatus, mysterium Ecclesiae Christo indissolubili vinculo coniunctae participans, mundo vitam novam, Redemptione Christi acquisitam, testificat¹⁴⁷.

2. Novitiatu laudabiliter peracto, novitus conversus Conventui proponitur. Misericordiam in Capitulo toto corpore prostratus petit supplicatque propter amorem Dei se ad primam Professionem sub habitu professorum recipi pro humillimo omnium servo. Aliquot post dies fit ut supra dicitur (8.9).

3. Ante Professionem temporariam novitus cedat administrationem bonorum suorum et disponat de eorum usu et usufructu, ut supra dictum est (10.5).

4. Postquam per octo saltem dies spirituali recollectioni vacaverit, die statuto frater in capitulo coram Conventu denuo supplicabit. Tunc de stabilitate, oboedientia, conversione morum ceterisque ad statum conversorum necessariis a Priore monebitur. Postea Professionem ad triennium in ecclesia modo infra dicendo emittet (36.8-10). Omnino curandum est autem ut frater cum maturo consilio de votis emittendis decernat, nec se obstringat nisi plena cum libertate.

5. Triennio autem elapso, Prioris est, post Conventus suffragium (8.9), iuniorem professum admittere ad temporariam professionem renovandam ad biennium.

Tempus vero temporariae professionis a Priore prorogari potest, non tamen ultra annum.

Iusta autem de causa Capitulum Generale vel Reverendus Pater aliquem dispensare potest de tempore quo probatio votorum temporiorum necnon novitiatus protrahi debent, salvo Iure Ecclesiae universali.

6. Professos temporarios ad Professionem sollemnem admittit Prior post suffragium (8.9) monachorum professorum votorum sollempnium, ad nutum tamen Reverendi Patris. Ad quam Professionem frater etiam bis in Capitulo supplicare debebit, ut de Professione temporaria diximus.

7. Quia discipulus, Christum sequens, omnia et semetipsum abnegare debet, ante Professionem sollemnem professurus omnibus bonis quae actu habet renuntiet ; potest vero, si vult, tunc disponere de bonis ad quae ius habet. Nulla persona Ordinis aliquid omnino petat a professo temporario de rebus ipsis, etiam intuitu pietatis et eleemosynae quibuslibet personis facienda ; sed de rebus suis libere, prout voluerit, disponat.

8. Nullus frater Professionem, sive temporariam, sive sollemnem, facere potest, nisi proprio Priore praesente et celebrante. Qui si legitime fuerit praepeditus, deleget alium Priorem vel alium sacerdotem Ordinis nostri, ut Professionem in suo nomine recipiat ; tunc in ipsa Professionis forma dicatur : in

¹⁴⁷cf. Vaticanus II, Lumen gentium, 44.

praesentia Domni N., a Domno N. Priore delegati. Rectores tamen Domorum Ordini incorporatarum possunt ad Professionem proprio nomine recipere.

9. Die statuto professurus in Missa conventuali, post Evangelium vel Credo, Professionem emitit (36.13-14). Tunc enim oblatio sui ipsius, quam cum Christo facere intendit, a Deo per manus Prioris accipitur et consecratur.

10. Professurus autem ipse sub hac forma et his verbis Professionem lingua vernacula scribat : Ego Frater N. promitto ... oboedientiam et conversionem morum meorum et perseverantiam in hac eremo, coram Deo et Sanctis eius, et Reliquiis istius eremi, quae constructa est ad honorem Dei, et beatae semper Virginis Mariae et sancti Ioannis Baptista, in praesentia Domni N., Prioris¹⁴⁸.

Quod si de Professione temporaria agatur, addantur post verbum promitto verba quae tempus definiant ; si de Professione sollemni, dicatur perpetuam.

11. Notandum quod omnes eremi nostrae ad honorem beatae semper Virginis Mariae et sancti Ioannis Baptista primo dedicantur, quos maxime patronos in caelo habemus.

Cartula vero cuiusque emissae Professionis, ab ipso professo et a Priore, in cuius manus emissa fuit, subscripta, cum indicatione diei et anni, servetur in tabulario Domus.

12. Omnes religiosi nostri Ordinis, licet ad alias Domos transmittantur et ibidem sollemniter profiteantur, remanent in posterum professi Domus ubi, elapso novitiatu, primam Professionem emiserunt.

13. A tempore suaे Professionis neverit frater se nihil omnino, ne baculum quidem quo per viam gradiens innititur, sine Prioris habere licentia, quippe cum nec ipsem suus sit¹⁴⁹. Cum enim ab omnibus qui regulariter vivere decreverunt oboedientia magno studio sit servanda, a nobis tamen tanto devotius ac sollicitius, quanto districtius asperiusque propositum subivimus, ne si, quod absit, illa defuerit, tanti labores careant praemio. Hinc enim Samuel : Melior est, inquit, oboedientia quam victimae ; et auscultare quam offerre adipem arietum¹⁵⁰.

Capitulum 19 De Donatione

1. In Domo Dei mansiones multae sunt¹⁵¹ : apud nos sunt monachi claustrorum et conversi, sunt etiam donati qui pariter, mundo dimisso, solitudinem Cartusiae petierunt, ut, sub clausurae custodia orationi et labori incumbentes, totam vitam Domino consecrarent. Non raro enim, sanctiores homines in statu donatorum vivere et mori maluerunt, ut, inter beati Brunonis filios adnumerati, eius hereditate sancta fruerentur.

2. Novitiatu laudabiliter peracto, novitus donatus a Priore admittitur ad Donationem temporariam faciendam, post suffragium professorum votorum sollemnium necnon donatorum perpetuorum (8.9).

3. Die Donationis, sive temporariae sive perpetuae (36.16-18), futurus donatus, praemissis quattuor saltem diebus recollectionis, sub hac forma et his verbis lingua vernacula scriptam Donationem ante Vespertas coram toto Conventu pronuntiet : Ego, Frater N., propter amorem Domini nostri Iesu Christi et salutem animae meae, spondeo fideliter servire Deo tamquam donatus, oboedientiam et castitatem servaturus et sine proprio vivendo, ad profectum Ecclesiae. Ideo huic Domui me trado, mutua

¹⁴⁸Cons. Cart. 74.1.

¹⁴⁹Cons. Cart. 75.1.

¹⁵⁰Cons. Cart. 25.2-3 _ 1 Sam 15, 22.

¹⁵¹Io 14, 2.

obligatione contracta, ut ipsi omni tempore serviam, disciplinae Ordinis subiacens, ad normam Statutorum.

Post verbum traditum addatur ad triennium, si agatur de Donatione temporaria; itemque, si haec prorogata fuerit, exprimatur tempus prorogationis; sin autem agatur de Donatione perpetua, dicatur in perpetuum.

4. Donatus, quamvis sine proprio vivat, conservat proprietatem et dispositionem bonorum suorum. Attamen ante Donationis perpetuae tempus nemo alienet aut alienari permittat, volente etiam ipso donato, ullum ex bonis ipsius.

5. Donatus, ab hoc tempore persona Ordinis constitutus, eidem associatur, et Superiores, si necessitas exegerit, in quamlibet Domum Ordinis eum conferre possunt. Dimitti tamen nequit, nisi in aliqua obligationum suarum graviter deficeret. Donatio autem e communi consensu Prioris et donati solvi potest.

6. Triennio autem elapso, Prioris est, post suffragium Conventus, donatis perpetuis non exceptis (8.9), donatum admittere ad temporariam Donationem renovandam ad biennium. Tempus vero temporariae Donationis a Priore prorogari potest, non tamen ultra annum.

7. Transacto probationis tempore, Prioris est, post suffragium Conventus, donatis perpetuis non exceptis (8.9), fratrem admittere sive ad Donationem perpetuam, sive ad regimen quo Donatio tertio quoque anno renovatur; pro quibus autem renovationibus non iteratur suffragium. Ad Donationem perpetuam requiritur insuper consensus Reverendi Patris.

8. Quoad Officium divinum ceterasque observantias, donati proprias habent consuetudines, quae eorum necessitatibus adaptari valent; ita propositum nostrum, unionis scilicet cum Deo in solitudine ac silentio, exsequi potest quisque modo magis sibi congruo. Quam ordinatam libertatem non in occasionem dent carnis, sed in servitium caritatis¹⁵². Diverso itaque modo Domino inserviunt quin in ipsis vera Deo oblatio minuatur, nec sanctitatis studium. Auxilium etiam Domui perutile praestant, aliquando muneribus fungentes, quibus conversi in suis observantiis impedirentur.

Capitulum 20

De institutione fratrum

1. Iuniores fratres subiciuntur regimini Magistri novitiorum, qui semper erit pater sacerdotio auctus. Sit insuper vir religione, quiete, silentio, iudicio ac prudentia pollens, sincera ardens caritate, qui amorem vocationis nostrae spiret, qui etiam diversitatem animorum intellegat, et iuniorum necessitatibus mentem apertam habeat. Sub eius tutela conversi usque ad sollemnem Professionem manent, donati vero usque ad perpetuam Donationem vel ingressum in regimen quo Donatio tertio quoque anno renovatur.

2. Cum munus Magistri novitiorum a Procuratore exercetur, ne ipse temporalium rerum sollicitudine praegravetur, istarum curam inter Procuratorem et Subprocuratorem aliquem Prior dividere potest.

3. Magister alumnos suos instruit ut vitam orationis, in fide et caritate radicatam, e germano verbi Dei fonte hauriant eamque cum propriis sui status operibus, nempe solitudine, silentio, liturgia ac labore apte componant. Promovet etiam Statutorum nostrorum necnon Traditionum Ordinis intelligentiam et amorem. Sollicitus erit ut alumnorum dilectio in Christum et Ecclesiam in dies augeatur. Semel in hebdomada communis tironum institutioni consultit, saltem per dimidiad horam collationem habens, in qua eos maxime spiritum et observantias propositi nostri docet. Novitiis autem amplius temporis in cella conceditur, ut spirituali formationi melius incumbere valeant.

¹⁵²Gal 5, 13.

4. Tirones visitando et simpliciter cum eis privatim colloquendo, dispositiones animarum eorum experitur Magister, ac consilia praebet specialibus necessitatibus ipsorum accommodata, ut unusquisque perfectionem suae vocationis attingere valeat.

5. Procurator autem, qui occasione officii sui cum fratribus cotidie conversatur, eos exemplo virtutum et vita orationis, quam ipse observabit, ad virtutes et orationem efficacius instruet. Divina enim doctrina vivendo potius quam loquendo intimatur.

6. A tempore formationis caveatur ne fratres exercitiis communibus plus aequo onerentur, vel observantiis ab Ordine nostro alienis; invigiletur potius ut vitae orationis ac vero spiritui monastico initientur.

7. Ad Priorem et ad Magistrum novitiorum pertinet iudicare, pro sua prudentia et discretione, de candidatorum vel iuniorum fratrum idoneitate ad sequendum propositum Ordinis. Ut enim re simul ac nomine cartusiensis quis fiat, velle non sufficit; requiritur etiam, cum solitudinis et vitae nostrae amore, quaedam specialis animi et corporis aptitudo. Aliquem vero recipere vel retinere diutius, cum necessarias dotes ipsi deesse constet, falsa est et quasi crudelis compassio. Caveat omnino Magister ut novitus plena cum libertate de proposito suo decernat nec eum ad Donationem vel Professionem faciendam ullo modo impellat.

Quater in anno Magister coram Priore et Consilio rationem reddat de statu singulorum novitiorum donatorum et novitiorum conversorum; de aliis etiam membris novitiatus interrogatus respondeat.

8. Iuniores fratres ad Magistrum novitiorum liberum habeant aditum et cum eo semper conferre possint, sponte tamen et absque ulla coactione. Quos hortamur ut Magistro simpliciter et fiducialiter suas difficultates exponant, eum accipientes tamquam a divina Providentia electum ut illos dirigat ac iuvet. Similiter cunctis fratribus liber patet accessus ad Priorem, qui, ut pater communis, eos semper benigne recipiet et aliquando in cellis visitabit, erga omnes, sine personarum acceptione, pariter sollicitus.

9. Fratres seniores, maxime Oboedientiarii, iuniorum cum quibus laborant formationi efficaciter conferunt, exemplum observantiae regularis ac virtutum necnon orationis in cotidianis adjunctis eis praebendo. A colloquiis tamen nectendis, etiam de re spirituali, fere abstineant, quippe qui rebus alienae conscientiae se immiscere non debeant.

10. Ut vita spiritualis fratrum firmo fundamento innitatur, iuvenibus fratribus initio vitae eorum monasticae aliqua doctrinalis institutio impertietur, cui cotidie tempus aliquod reservabitur. Quae institutio ad hoc tendit ut frater divitiis quae in verbo Dei latent initietur, atque nostrae fidei mysteria personali intuitu percipere valeat, dum fructum solidorum librorum meditando carpere discit. Cuius institutionis impertienda Prioris, Magistri et Procuratoris munus est, qui communi agent consensu, secundum praescripta Capituli Generalis.

11. Institutio spiritualis ac doctrinalis fratrum per totam vitam perficienda est¹⁵³. Ad hunc finem consequendum patres, a Priore designati, Procuratori auxiliantur, collationem dominicalem omnibus fratribus impertientes. In qua a festo Omnis Sanctorum usque ad Pascham explanantur Statuta, quorum capitula consueta singulis annis in fratrum Conventu legi debent; haec collatio, in qua etiam observantiis Ordinis instruuntur, potissimum committitur Procuratori. A Pascha usque ad festum Omnis Sanctorum instructio datur de doctrina, de vita spirituali necnon de Scriptura et de Liturgia, iuxta normas a Priore statuendas; quae doctrina profunda simul et fratrum captui accommodata sit. Haec duo genera instructionum, si opportunum videatur, aliter distribui possunt, quin tempus unicuique tributum minuatur.

¹⁵³cf. Vaticanus II, Perfectae caritatis, 18 – Codex iuris canonici, c. 661.

12. Ita fratres eminentem scientiam Iesu Christi ediscent, si tamen ad eam recipiendam se disponant per vitam silentiosae orationis cum Christo in Deo absconditam¹⁵⁴. Haec est enim vita aeterna, ut cognoscamus Patrem et quem misit Iesum Christum¹⁵⁵.

¹⁵⁴cf. Col 3, 3.

¹⁵⁵cf. Io 17, 3.

- Liber 3 -

DE CONVENTU

Capitulum 21

De Liturgia cotidiana celebranda

1. Quae ad conversationem monachi, in cella vel inter laborandum Deum auscultantis, pertinent, rite explicatis, Domino iuvante de Conventu nunc dicemus. Gratia enim Sancti Spiritus solitudinis cultores ita congregat ut in caritate efficiantur una communio, ad imaginem Ecclesiae, quae una in multis locis exsistit.

2. Cum sanctus Pater noster Bruno eremum, una cum sex sociis, ingressus est, veterum illorum monachorum vestigia insequebatur qui silentio et paupertati spiritus ex toto dedicati fuerant. Attamen haec propria primorum patrum nostrorum gratia fuit, ut in illam vitam introducerent Liturgiam cotidianam quae, servata institutionis eremiticae gravitate¹⁵⁶, eam expressius consociaret carmini laudis quod Summus Sacerdos Christus Ecclesiae suae tradidit. Quam Liturgiam peculiarem tuemur, utpote vitae contemplativae et solitariae consentaneam¹⁵⁷.

3. Ad instar veterum monachorum synaxeos, praestantiores in nostra Liturgia locum tenent Vigiliae noctis, matutinis subsequentibus Laudibus, atque Eucharistia conventionaliter celebrata, necnon laudes vespertinae. Pro quibus Officiis in ecclesiam coadunamur.

4. Quum pro Eucharistia convenimus, in Christo praesente et orante familiae cartusiensis unitas consummatur. Qua dominici sacrificii commemoratione omnes monachi claustrum necnon fratres, prout ipsi eligunt, cotidie congregantur.

Praeterea sacerdotes in solitudine una cum Ecclesia Eucharistiam litant; tunc humilis in deserto suae conversationis oblatio in Christum assumitur ad gloriam Dei Patris.

Diebus autem vitae communis magis accommodatis, monachi concelebrare possunt, in unum coadunati sacerdotium.

5. Oratio nocturna illa est qua in excubiis persistentes divinis, exspectamus redditum Domini ut cum pulsaverit, confestim aperiamus ei¹⁵⁸. Vespertinae autem laudes eo tempore celebrantur quo vergens dies animas ad spirituale sabbatum invitat.

6. Ceteras Liturgiae Horas canonicas de more in cella dicimus. Diebus autem dominicis et sollemnibus Tertiam, Sextam et Nonam in choro cantamus.

7. Liturgia in secreto cellae celebrata vitae solitariae quae est libertas animae accommodatur, ita ut cum cordis inclinatione maxime consonare valeat, quamvis semper actus sit vitae nostrae communis. Pulsata autem campana, omnes simul orantes totam Domum unam gloriae Dei laudem efficiunt.

8. Dum divinum celebrant Officium, monachi vox et cor fiunt ipsius Ecclesiae, quae per ipsos Deo Patri in Christo cultum adorationis, laudis et supplicationis offert, et pro peccatis humiliter petit veniam. Quo magni momenti munere monachi per totam vitam quidem, sed expressius et publice per sacram Liturgiam funguntur.

¹⁵⁶Guigo, Praefatio ad Antiphonarium Cartusianum ; Annales Ord. Cart., I, 308.

¹⁵⁷Paulus VI, Epistola "Optimam partem" ad Reverendum Patrem, 18 aprilis 1971.

¹⁵⁸cf. Lc 12, 36 _ Sanctus Bruno, ad Radulphum, 4.

9. Cum Sacras Scripturas assidue meditari monachi officium sit donec in naturam quasi vertantur, eas quando in sacra Liturgia ab Ecclesia nobis subministrantur, ut panem Christi accipimus.

10. Liturgia conventualis semper cantatur. Patrimonii autem Ordinis antiqua et stabilis pars est cantus gregorianus noster, quem interioritatem mentisque sobrietatem fovere novimus.

11. Monachi claustrorum sacri Officii formae tenentur, quae in nostris libris liturgicis describitur. Monachorum vero laicorum in sacram Liturgiam participatio variis modis fieri potest, alibi descriptis (49.10); quocumque casu, ipsi orationem publicam Ecclesiae agunt¹⁵⁹.

12. Praeter Officium divinum, a Patribus nostris Officium Beatae Virginis Mariae traditum est, cuius singulae Horae respondentem divini Officii Horam praecedere solent. Illis precibus perennis novitas celebratur mysterii quo Beata Virgo Christum in cordibus spiritualiter parit.

13. Cum Dominus ad hoc nos vocaverit ut omnem creaturam coram Eo repraesentemus, nos oportet pro omnibus intercedere, pro fratribus nostris, proximis et benefactoribus, necnon pro cunctis vivis et defunctis.

14. Liturgiam reconciliationis, qua perpetuum Pascha Domini nos peccatores faciem eius querentes renovat, frequenter celebamus. Spiritualis enim vita nostra pendet ex assiduo diligentique usu personali Sacramenti Paenitentiae¹⁶⁰.

15. Quia nostrum est propositum sine intermissione ad Deum vigilare, tota vita nostra quasi una efficitur liturgia, quae certis quidem temporibus expressior fit, sive in nomine Ecclesiae rite preces offeramus, sive proprii cordis sequamur instinctum. Sed ea varietate non dividimur, cum semper in nobis sacerdotium suum exerceat idem Dominus, eodem Spiritu Patrem orans.

Capitulum 22

De vita communi

1. Cum in cellis vel in oboedientiis vitam solitariam colimus, cor incenditur et alitur igne divinae caritatis, quae est vinculum perfectionis¹⁶¹ et nos constituit membra unius corporis. Hanc dilectionem quam ad invicem habemus, horis statutis cum convenimus, verbo et opere in gaudio manifestare, necnon pro fratribus nosmetipsos abnegare possumus.

2. Sacra Liturgia est vitae communis dignior pars, quippe quae inter nos maximam condit communionem, cum cotidie adunati eam ita participamus ut unanimiter Deo astare valeamus.

3. Capitulum Domus locus est non parvae dignitatis, ubi, pro humillimo omnium servo quandam receptus, unusquisque culpas deinceps commissas coram fratribus agnoscit; ubi lectionem sacram audimus et de rebus quae ad bonum commune spectant deliberamus.

4. In quibusdam Sollemnitatibus omnes in capitulum convenimus ad sermonem audiendum a Priore factum vel ab alio cui ipse commiserit.

Diebus dominicis et sollemnibus – exceptis Sollemnitatibus Nativitatis Domini, Paschae, Pentecostes, omnibusque in Quadragesima super hebdomadam occurribus – post Nonam ad capitulum pergimus, ut lectioni Evangelii vel Statutorum attendamus. Altera etiam quaque hebdomada, vel semel in mense, secundum consuetudinem Domorum, ibidem culpas publice recognoscimus. Unusquisque culpas contra fratres, contra Statuta, vel etiam contra generale officium servitutis nostrae commissas confiteri potest. Et quia nonnisi per murum silentii custoditur solitudo cordis, qui silentium

¹⁵⁹cf. Vaticanus II, Sacrosanctum Concilium, 98.

¹⁶⁰Ioannes Paulus II, Exhortatio Apostolica "Reconciliatio et Poenitentia", VI, A. A. S. 1985, 265.

¹⁶¹Col 3, 14.

fregerit, commissum semper agnoscat, et aliquam publicam paenitentiam secundum morem faciet. Accusatione facta, Prior admonitiones opportune impertiri poterit.

5. Fratres in capitulum vel alium locum, hora congrua, diebus dominicis conveniunt, ubi Statuta ipsis leguntur et explanantur, vel pater a Priore deputatus christianam impertitur doctrinam. Culpas ibidem recognoscunt, nisi interfuerint capitulo simul cum patribus.

6. Monachi ad nutum Prioris in capitulum congregantur quoties de aliquo negotio deliberandum est vel Conventus consilium a Priore requiritur.

7. Commune prandium habemus in refectorio diebus dominicis et sollemnibus, quibus saepius convenimus et locus datur solatiis vitae familiae. Refectorium, quod post Officium in ecclesia ingredimur, in mentem revocat Cenam quam Christus sacravit; mensas ibidem benedicit sacerdos qui Missam in Conventu celebravit, et dum cibus corporalis nobis ministratur, divina lectione simul pascimur.

8. Colloquium commune conceditur patribus post Capitulum Nonae; fratribus autem, iudicio Prioris, in quacumque Sollemnitate pro iis quibus libet. Semel vero in mense habetur colloquium pro omnibus fratribus; hac die, ad nutum Prioris patres et fratres communem habere possunt recreationem, ad quam etiam novitii iunioresque profecti vocari possunt.

9. Dum recreamur meminerimus consilii Apostoli: gaudere, idem sapere, pacem habere, ut Deus pacis et dilectionis nobiscum maneat¹⁶². Cum colloquium sit communitatis congressus in unum, vitemus in partem secedere, nec alibi loquamur quam in loco ubi omnes conveniunt, nisi forte pauca verba.

10. Quoniam, ut ait sanctus Bruno, arctiori disciplina studiisque spiritualibus animus infirmior fatigatus, saepius eremi amoenitate et agri pulchritudine relevatur ac respirat¹⁶³, patres semel in hebdomada spatiamentum habent, excepta Hebdomada Sancta. Fratres vero unum spatiamentum in mense habent ad libitum singulorum, qui tamen ter saltem vel quater in anno eidem interesse debebunt. In quo spatiamento, patres et fratres, iudicio Prioris, simul ambulare possunt.

11. Secundum antiquam Ordinis consuetudinem, semel in anno maius conceditur spatiamentum, quod patres et fratres, necnon novitios iunioresque profectos, simul habere licet si Priori opportunum videtur. Hoc die terminos spatiamentorum a Capitulo Generali approbatos transgredi permittimur, et aliquid viatici nobiscum portare possumus. Sed et in hoc spatiamento cartusiana frugalitas servanda erit et procul ab extraneis manducabimus. Priori insuper licet concedere alterum eiusdem modi spatiamentum, in quo tamen non comedimus.

12. Spatiamenta nostra talia sint ut animarum unioni salutarique earum profectui faveant. Propterea omnes idem iter eentes simul ambulent, ut unusquisque cum ceteris alternatim colloqui possit, nisi rationabili de causa duas vel tres turmas habere melius videatur. Quod si, dum exeunt, per vicinos vicos necessario procedendum sit, solo transitu sint contenti, servata omni modestia, nec umquam domos saecularium ingrediantur. Colloquia cum extraneis ne habeant nec quicquam iisdem dispensem. In spatiamentis ne comedant aut bibant, praeter aquam crudam fontis qui in via occurrit.

13. Haec colloquia instituta sunt ut mutuam foveant dilectionem et solitudini iuvamen afferant. A multiloquio, clamore et risu indecoro caveamus; sint sermones nostri religiosi, non vani, nec saeculares; omnem speciem detractionis vel murmurationis sedulo vitemus. Cum altero dissentientes, eum sciamus audire, eiusque animum intellegere studeamus, ut in omnibus arctius efficiatur vinculum caritatis.

¹⁶²cf. 2 Cor 13, 11.

¹⁶³Sanctus Bruno, ad Radulphum, 5.4.

14. Ter in anno opera communia faciunt patres ad nutum Prioris, qui ea etiam omittere potest. Inter Nonam et Vespertas scilicet, labores in communi compleant, silentium servantes ut supra dictum est (5.6) ; qui labores per tres dies protrahi possunt. Praeter ea quae pro Sacrista agenda veniunt, Prior aliquam operam iniungere potest quae fratribus sit levamini ; tuncque patres gaudebunt de occasione sibi data participandi fratrum ministerium. In hebdomada in qua opera communia fiunt cuilibet patri licet spatiamento non interesse.

15. Semel in mense qui volunt inter patres possunt de consensu Prioris tempore spatiamenti alicui operi vacare ad modum operum communium, cum licentia tamen colloquendi.

Capitulum 23

De Priore

- De electione Prioris -

1. Omnis Domus Ordinis ubi adsunt saltem sex professi capaces eligendi suum Priorem eligere potest. Electio autem intra quadraginta dies fieri debet : quo tempore elapso, Reverendus Pater vel Capitulum Generale de novo Priore providebit.

Habent vocem activam in electione omnes sollemniter professi in Domo residentes, ad normam cap. 38, n. 2.

2. Primum, Conventus per votum secretum (ad normam can. 119 2^o) decernit an eligere velit. Quod si noluerit, Capitulum Generale vel Reverendus Pater orbatae Domui provident. Si ad electionem proceditur, oportet ut futurus Prior tot vota habeat quae excedant medietatem suffragiorum actu expressorum. Si, post quartam votationem, nemo eligitur, Reverendus Pater Domui providet de pastore (cf. 38.1, 14 et 15).

3. Confirmatio electionis fit a duobus monachis a Capitulo Generali vel a Reverendo Patri deputatis, ut in cap. 38 Statutorum explicatur ; in quo etiam capitulo normae particulares de forma electionis continentur.

4. Eligi non potest qui ad sacerdotium non est promotus, qui nondum in Ordine quinque annos post factam professionem sollemnem vixerit, necnon qui aliquo detinetur ex impedimentis particularibus cap. 38 n. 7 expressis.

Omnis autem Prior munus dimittere nequit nisi misericordiam acceperit.

- De ministerio Prioris -

5. Prior exemplo Christi in medio fratrum suorum est sicut qui ministrat¹⁶⁴, eosque regit secundum spiritum evangelicum et secundum formam Ordinis, quam et ipse traditam accepit. Omnibus verbo et vita prodesse conatur ; specialiter autem monachis claustris, ex quibus sumptus est, quietis, stabilitatis, solitudinis et ceterorum quae ad eorum vitam pertinent exercitiorum, exemplum praebere debet¹⁶⁵.

6. Sedes eius ubilibet et vestitus nulla quasi dignitate vel pretiositate differt a ceteris, nec quidquam gestat unde quod sit Prior appareat¹⁶⁶.

7. Ad eum spectat cultum divinum cum honore et reverentia celebrandum moderari, ut in liturgicis Statutorum Libris dicetur.

8. Prior, cum in monasterio sit pater communis omnium, eandem sollicitudinem fratribus ac patribus manifestet, eos in cellis et oboedientiis aliquando visitans. Si quis ad cellam ipsius veniat, cum omni

¹⁶⁴cf. Lc 22, 27.

¹⁶⁵Cons. Cart. 15.2.

¹⁶⁶Cons. Cart. 15.4.

caritate eum recipiat, ac semper unumquemque libenter audiat. Sit talis ut monachi, praesertim in tribulationibus positi, possint tamquam ad benignum parentis sinum confugere, animumque etiam suum, si velint, libere ac ultro aperire. Non secundum hominem iudicans, cum monachis suis satagat Spiritum auscultare communi inquisitione Dei voluntatis, cuius interpretandae pro suis fratribus mandatum accepit.

9. Non debet Prior, ut ametur, regularem disciplinam relaxare, cum hoc sit oves non servare sed perdere. Monachos econtra regat qua filios Dei, illorum voluntariam subiectionem promovens, ut in solitudine Christo oboedienti sese plenius conforment¹⁶⁷.

10. Monachi vicissim Priorem suum in Christo diligent et revereantur, ac semper ei deferant humilem oboedientiam. Credant ei qui animarum eorum curam in Domino suscepit, omnem sollicitudinem in eum, qui vices Christi agere creditur, procientes. Ne sint sapientes apud semetipsos, innitentes prudentiae suae¹⁶⁸, sed, cor suum inclinantes ad veritatem, audiant monita patris sui.

11. Iuniores, cum inter sollemniter professos conversari incipiunt, conversos votorum sollemnium noviter professos, et donatos qui iam non sunt sub Magistri tutela, sibi ipsis et propriae voluntatis arbitrio Prior non relinquat, cum experientia doceat, in istis annis maxime, vocationem nostram in discrimine esse, et ab eis totam vitam sequentem pendere. Sed cum illis simpliciter privatim colloquendo, paternum, immo fraternum eis praebeat auxilium. Curet insuper, quantum fieri potest, ne monachos citius post expleta studia ad officia, maxime Procuratoris, promoveat.

12. Prior vigilet ut fratribus Capitulum regulariter teneatur. Provideat insuper ut semel in hebdomada eis fiat expositio doctrinae christiana vel Statutorum. Et cum hoc sit grave eius officium, sollicite advigilet ut fratres solidam formationem recipient atque libri ad hoc idonei ipsis ministrentur.

13. Sollicitus sit etiam circa infirmos, tentatos et afflictos, expertus quam aspera interdum solitudo nobis fieri possit.

14. Exlastratos, et eos etiam qui forte Ordinem sponte dimiserint, actuosa caritate amplectatur ac, ut Dei voluntatem intellegant et sequantur, pro viribus adiuvet. Eos semper paratus sit amanter excipere, sed non indifferenter cum omnibus communicare sinat.

15. Libros, cum sint sempiternus animarum nostrarum cibus¹⁶⁹, Prior suis monachis libenter praestet. Quos imprimis Sacra Scriptura, Ecclesiae Patribus probatisque monasticis auctoribus pasci decet. Alios quoque solidos libros eis praebeat, sollicite pro cuiusque utilitate selectos. In solitudine enim lectioni vacamus, non ut de quibuscumque novis sententiis erudiamur, sed ut fides in pace nutriatur, et foveatur oratio. Potest etiam Prior, si opus erit, librum aliquem monachis suis prohibere.

16. Prior debet rebus et negotiis Domus suae superintendere et de omnibus generalem sollicitudinem et providentiam habere ; bona secundum Deum, conscientiam et formam Ordinis discrete dispensare et sollicite curare ne quid male expendatur. Verumtamen, ne forte, temporalium cura rerum ac sollicitudine praegravatus, spiritualibus minus possit intendere, tales Officiales singulis oboedientiis satagit deputare, quorum fidei secure eas credere¹⁷⁰ valeat.

17. Prior, tamquam Superior monasterii sui iuris ad normam Statutorum, est Superior maior ad normam Iuris¹⁷¹. Eius est Officiales suos omnes, tam patres quam fratres, cum maturo consilio instituere, destituere, mutare ; nec valent Visitatores in his eum impedire, nisi in actu Visitationis. Debebit in

¹⁶⁷cf. Vaticanus II, Perfectae caritatis, 14 ; Lumen gentium, 42.

¹⁶⁸Prv 3, 5.7.

¹⁶⁹cf. Cons. Cart. 28.3.

¹⁷⁰Cons. Cart. 37.4.

¹⁷¹Codex, can. 613.

commendanda aliqua oboedientia aliquos consulere, eos maxime inter quos conversatus est is cui eam commendare proponit. Ipsum quoque qui officium suscepturus est permittat libenter mentem aperire antequam aliquid statuatur.

18. Ille qui alicui officio deputatur, simpliciter mandato pareat, sciens quod, reluctando, non oboedientiam solum offenderet, sed aliquando caritatem etiam erga Priorem, gravibus sollicitudinibus saepe oneratum. In illius dispositione divinae voluntatis signum agnoscens, onus commissum suscipiat et pro viribus suis Priori cooperetur, sciens se ad aedificationem Corporis Christi secundum Dei propositum operam praestare¹⁷².

19. Nitatur autem Prior ut res maioris momenti ad Officialium oboedientias spectantes, eis prius auditis communi consensu decidat. Illi vero eius ordinationibus semper filiali animo se subiciant. Ipsos et difficultates eorum paterno affectu noscere discat, eos adiuvet, auctoritati eorum coram omnibus faveat et, si opus sit, caritative eos reprehendat. Ita se gerat ut non de externo ordine tantum videatur sollicitus, sed Spiritui ipse oboediens omnibus caritatem Christi exhibeat. Nam pax et concordia in Domo ex eo pro magna parte pendent quod ipsi Officiales cum Priore unanimes sint et idipsum sentientes¹⁷³.

20. Licentiam a Priore denegatam non poterit postea dare Vicarius aut Procurator, nisi urgenti necessitate ulterius occurrente; et ideo petitor, etiam non interrogatus, dicet quod sibi a Priore fuerit denegata. Similiter si quis licentiam a Vicario vel Procuratore denegatam a Priore postea petere voluerit, a predictis fuisse denegatam eidem manifestabit.

21. Negotia quae per alium expediri possunt, Prior per seipsum non exercet. In Domo, cum iis a quibus assumptus est resideat nec ab ea exeat nisi vera necessitas urgeat. A principio tamen Adventus usque ad primam post Epiphaniam diem et a Quinquagesima usque post Octavas Paschae, propter arctiorem sui custodiam et gregis curam, maior adhuc necessitas adesse deberet ut egrederetur¹⁷⁴.

22. Prior in Domo sua cum hospitibus non debet passim et indifferenter comedere, sed dumtaxat cum talibus personis quibus hoc commode negari non poterit, et tunc etiam quanto rarius, tanto melius.

23. Prior, senectute vel infirmitate impeditus quominus gregem suum pascat et ei regularis vitae praebeat exemplum, humiliter id agnoscens, non exspectabit Generalem Capitulum, sed a Reverendo Patre petet misericordiam. Hortamur autem Diffinitores ne personas senio vel infirma valetudine confectas in Officio Prioris relinquant.

24. Rector Domus Ordinis Professiones monachorum recipit. Non promittitur ei oboedientia in principio rectoratus, sed tamen oboeditur ei in omnibus tamquam Superiori.

25. Prior, cuius officium non parvam requirit abnegationem, sibi ipsi verba Guigonis referat, dicentis : Non tibi conandum est ut filii tui, quorum servitio a Domino tuo deputatus es, quod tu vis, sed quod eis prosit, agant. Te enim ad eorum utilitatem, non eos ad tuam voluntatem inclinare debes, quia non ut praevis, sed ut proris eis, tibi commissi sunt¹⁷⁵.

¹⁷²cf. Vaticanus II, Perfectae caritatis, 14.

¹⁷³cf. Philip 2, 2.

¹⁷⁴cf. Cons. Cart. 15.6.

¹⁷⁵Guigo, Meditatio n. 346.

Capitulum 24

De tractando consilio

1. Cum iuxta Scripturae doctrinam, qui sapiens est audiat consilia¹⁷⁶, Priori cunctandum non est Conventum aut eos qui sibi a consiliis sunt consulere, si communi bono profuturum videatur, ut in discernenda voluntate Dei monachos sibi consocet. Quod praesertim opportunum videtur quando agitur de rebus ad communem omnium responsabilitatem vel utilitatem pertinentibus.

2. Quando consilium quaerit Praesidens, non manifestat ad quid inclinetur, ut quisque quid sentiat libere possit pronuntiare. In tractatibus in quibus requiritur consensus Conventus, norma supra relata (8.9) sequenda est. In ceteris autem tractatibus, quod melius rectiusque existimaverit sine ulla personarum acceptione exsequatur¹⁷⁷. Non enim ullo iure cavetur ut, quoties aliquis tenetur petere consilium, teneatur etiam illud exsecutioni mandare. Attamen Prior poterit, si res ita fert, rationem iudicii sui monachis intimare, quo facilius cum eo unius mentis effici possint.

3. Nisi ex Iure ea preventur, vocem in Capitulo habent monachi sollemniter professi, etiam hospites postquam annum integrum in Domo transierunt. Verumtamen qui officium Vicarii, Procuratoris, Magistri novitiorum et Sacristae exercent, statim ac in officio constituuntur vocem habent, sicut et Scriba in Domo Cartusiae. Ceteri qui vocem non habent, deliberationem tamen participare possunt si Priori opportunum videtur. De voce autem activa in electione Prioris alibi tractabimus (38.2). In admissione vero ad novitiatum fratrum et ad Donationem, vocem quoque habent perpetuo donati, etiam hospites qui per annum integrum in Domo manserint. Verbum Conventus, ubi de votationibus agitur, secundum predictas normas intellegendum est. In novis Domibus statim vocem habent omnes sollemniter professi qui illuc mittuntur, donec adsint sex sollemniter professi eiusdem vel alias Domus.

In electionibus, maior pars computatur iuxta numerum suffragiorum expressorum ; in aliis suffragiis vero iuxta numerum praesentium.

4. Habet insuper Prior Consilium quod constituitur Vicario, Procuratore et duobus monachis ad minus, e quibus unus a Priore designatur, alter a Conventu eligitur modo descripto alibi sub cap. 37, n. 3. Quae designatio et electio denuo fiant saltem quarto quoque anno. Hoc est Consilium Prioris de quo in Iure¹⁷⁸, ad quod etiam in quibusdam casibus Prior de consiliariorum consensu alios peritos monachos accersere potest. Quod Consilium saltem quater in anno congregatur, ut de bono communi examinet. Pariter Reverendus Pater Consilium habet constans ex supra memoratis monachis quibus adiungitur Scriba, et eo utitur etiam quando de rebus temporalibus et oeconomicis Domus Maioris Cartusiae agitur.

5. Secretum autem Consilii et Capituli semper sancte servari debet, cum conscientiam graviter aliquando onerare possit, praesertim quando de personis agitur.

6. Hoc autem, in tractatibus et consiliis conferendis, omnino tamquam utilissimum rectissimumque servandum est, ut nemo suam vel alterius sententiam contentiose praesumat defendere, ne bonum consilii in discordiam vertatur¹⁷⁹. Quod si acciderit, Prior reum scandali a consilio excludere potest. Sed e contrario, lata sententia, omnes eam sincere amplectantur, ut sint cor unum et anima una¹⁸⁰.

¹⁷⁶Prv 12, 15.

¹⁷⁷cf. Cons. Cart. 37.1.

¹⁷⁸Can. 627.

¹⁷⁹cf. Cons. Cart. 37.2.

¹⁸⁰Act 4, 32.

Capitulum 25

De Vicario et Antiquiore

1. Prior unum ex suis monachis Vicarium talem sibi eligat in quem possit plenam fiduciam habere et cuius consilio iuvari queat. Qui semper, et praesertim absente Priore, ceteris exemplo et verbo praelucere et omnes in observantia regulari et sancta pace continere, maternamque omnibus sollicitudinem, maxime tentatis, infirmis et afflictis exhibere valeat.

2. Et quoniam Vicarius reprezentat Priorem et est secunda persona Domus, ubique in Conventu locum tenet antiquioris a parte dextra Prioris.

3. Prior Vicario dat oportunas facultates ad munus suum exercendum, qui tamen oboedientias intrare non potest nec cum hospitibus comedit aut bibit, quamvis eos visitare possit, impedito Priore. Semper autem meminerit suum officium in claustrō contineri.

4. Absente vel impedito Priore, Vicarius vices eius agit in omnibus liturgicis Officiis, et in cura necessitatum monachorum, iuxta mentem et intentionem Prioris. Monachi ei vicissim quod par est obsequium exhibeant.

5. Priore et Vicario absentibus, ubique in Conventu Antiquior praesidet et omnia facit quae ad Vicarium absente Priore spectare diximus. Antiquior non est necessario antiquior Professione ; talis enim esse debet ut Prior et conventuales eum possint utiliter consulere et ei haec sancti Iob convenientia verba : In antiquis est sapientia et in multo tempore prudentia¹⁸¹.

Capitulum 26

De Procuratore

1. Fratribus Domus praeficitur a Priore unus e monachis sollemniter professis diligens Procurator ; sic enim eum volumus appellari¹⁸², qui, quamvis exemplo Marthae, cuius suscepit officium, circa multa sollicitari ac turbari habeat¹⁸³, silentium tamen et quietem cellae non paenitus abicere aut abhorrire debet, sed potius, quantum Domus negotia patiuntur, quasi ad tutissimum et quietissimum portus sinum, ad cellam semper recurrit, ut legendo, orando, meditando, et turbulentos animi sui motus ex rerum exteriorum cura vel dispositione surgentes sedare, et in arcanis sui pectoris aliquid salubre, quod fratribus sibi commissis suaviter et sapienter eructet, possit recondere¹⁸⁴.

2. In Domibus vero ubi sunt plures Procuratores, quod in Statutis de uno dicitur, de singulis intellegitur ; et quisque in oboedientia a Priore sibi commissa sua munia exercet circa res et personas, sub immediata directione Prioris.

3. Procurator, universorum sibi a Priore commissorum curam gerens, de negotiis omnibus et sumptibus ad Prioris semper recurrerit directionem. Grande aliquid, praeter Prioris licentiam, agere, vendere, emere, accommodare aut donare ne praesumat¹⁸⁵. Pro negotiis Domus, munuscula dirigere vel recipere potest.

4. Ea quae nobis debentur ex Ordine, a Procuratore, non a Priore, petenda sunt. Propter hoc tamen patres non intrant ipsius cellam nec aliud cum eo habent colloquium, nisi in loco a Priore designato secundum consuetudinem uniuscuiusque Domus. Quotiescumque autem fieri potest, ad illum scriptis potius recurrentum est. Procurator vero, sicut humilis minister, petita sine nimia mora procurare

¹⁸¹Iob 12, 12.

¹⁸²cf. Cons. Cart. 16.1.

¹⁸³cf. Lc 10, 41-42.

¹⁸⁴Cons. Cart. 16.2.

¹⁸⁵cf. Cons. Cart. 16.1.

studeat, eumque omnes semper inveniant festo vultu. Monachi vicissim a molestis instantiis abstineant, et in Procuratorem se gratos exhibeant, qui tempus et vires in commodum fratrum suorum impendit. Quod si Procurator aliquid denegaverit quod ad necessitates communes spectat, ad Priorem recurrere possumus, et hoc quidem semper fieri debet si de re extraordinaria agatur.

5. Procurator debet omni tempore monachos infirmos visitare qui ecclesiam dimiserunt, et erga eos diligens et benignus esse. Alias patres non visitat nec illorum cellas ingreditur sine licentia, nec cum illis loqui potest extra cellam, nisi invenerit eos colloquium habentes de licentia Praesidentis ; ad ostium tamen potest pauca verba loqui. Sed sollicite caveat ne rumores saeculi in Domo spargat ; proprium enim illius officium est curare ut monachi contemplationis quieti vacare possint.

6. Circa oboedientias fratrum et corporalem eorum valetudinem Procurator debet esse sollicitus atque eis omni cum caritate attendere. In primis eis paebeat exemplum, qui plus actibus trahuntur quam verbis ; libenter enim Procuratorem imitantur si ipse imitator est Christi. Maxime ei curandum est ne fratres nimiis graventur laboribus ; et ut recollectioni in cella sufficienter vacare possint, tempus laboribus addictum septem horas regulariter non excedat.

7. Unusquisque fratrum de oboedientia sua respondeat, et vicissim Procurator auctoritati eius faveat in operibus ei commissis. De his Procuratorem consulere debet eiusque voluntati se subicere ; qui tamen fratres debita cum libertate, in quantum res patitur, agere sinit, ut sua munera melius expleant ; et si quid in eorum oboedientiis mutare voluerit, id non facit nisi eis prius consultis vel saltem monitis.

8. Procurator, sicut etiam alii Domus Officiales, vigilare debet ne officio suo male utens dispensationes vel res non necessarias sibi indulgeat quae aliis nollet concedere.

9. Circa hospites Procuratorem oportet esse sollicitum, ipsis advenientibus primum occurrere, eosque visitare. Propter quos refectorium dimittere potest, absente Priore. Non passim et indifferenter comedit cum omnibus, sed dumtaxat cum talibus personis quibus hoc commode negari non poterit ; et hoc, quanto rarius, tanto melius. Quamdiu hospites comedunt nullus monachus intersit, nisi Procurator et, absente Priore, Vicarius.

10. Sede Prioris vacante, cellam eius custodit Procurator, et res in ea contentas integre.

11. Chronicorum autem Domus scribendorum munus Prior committit Procuratori vel alii idoneo.

12. Procurator, prourationem dimittens, omnem sollicitudinem vel res superfluas relinquit, ut Christum nudum in desertum sequatur¹⁸⁶.

Capitulum 27 De infirmis

1. Infirmitas aut senectus nobis novum actum fidei erga Patrem suggestur, qui nos his aerumnis pressius Christo configurat. Ita, Redemptionis operi singulari modo consociati, intimius cum toto Corpore Mysticō Christi coniungimur.

2. Prior peculiarem sollicitudinem et misericordiam ostendat infirmis, senibus, atque in probationibus positis¹⁸⁷. Quod omnibus etiam commendatur quibus cura infirmorum committitur. Secundum facultatem Domus, omnia necessaria et expedientia illis caritative subministrentur ; omnia obsequia quamlibet privata quae sibi ipsis singuli non possunt facere, ab aliis humiliter compleantur, ita ut felicem se putet cui tale quicquam fuerit imperatum¹⁸⁸. Qui etiam aliqua nervorum infirmitate laborant,

¹⁸⁶cf. Sanctus Hieronymus, ad Rusticum, Epistola 125, 20, PL 22, 1085.

¹⁸⁷cf. Cons. Cart. 38.1.

¹⁸⁸cf. Cons. Cart. 72.1.

in solitudine specialiter onerosa, omni modo sustententur, ut intellegant se gloriam Deo afferre posse, dummodo confidenter se tradant voluntati Eius, qui Pater est, sui ipsorum oblii.

3. Infirmi tamen, secundum beati Benedicti sententiam, ne superflua vel impossibilia petendo vel forte murmurando servientes sibi contristent¹⁸⁹, diligentius admonentur attendere, et ut memores arrepti propositi, ut sanos a sanis, ita aegrotos ab aegrotis saecularibus debere cogitent discrepare¹⁹⁰, ne, quod absit, occasione infirmitatis animus angustetur et a Domino frustra visitetur.

4. Isti igitur Christi passiones, illi suadentur attendere miserationes. Hinc isti fortes ad ferendum, illi prompti ad subveniendum. Dumque propter Christum et isti sibi serviri, et illi servire considerant, nec isti superbiunt, nec illi deficiunt, ab eodem utrique Domino mercedem sui praestolantes officii, isti patiendi, illi miserendi¹⁹¹.

5. Tamquam pauperes Christi, contenti erimus medico Domus ordinario vel, si casus exegerit, peritiore medico vicinarum civitatum. Si quis autem pater praeter consuetum medicum ad peritiorem recurrere cogitur, Prior permettere potest ut unam e civitatibus vicinioribus petat, quas Visitatores de consensu Capituli Generalis vel Reverendi Patris designaverint, dummodo eodem die revertatur. Similiter Prior permettere potest ut monachus in nosocomium admittatur, sed Reverendum Patrem informari decet.

6. Infirmi nostri, solitudinis sectatores, in propria cella, quantum possibile est, necessarias curas accipiunt. Praecepta vero quorundam medicorum, qui forte egressionibus faverent vel remedia curasque proposito nostro adversa proponerent, attendere non tenemur, nam de votis nostris soli coram Deo respondebimus. Cavendum est insuper ne medicamentis abutamur, cum detimento perfectionis necnon ipsius valetudinis, et Domus gravamine.

7. In his omnibus nos docili animo Dei voluntati committamus, et meminerimus nos per probationem infirmitatis ad gaudium aeternum praeparari, cum psalmista sentientes : Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus¹⁹².

Capitulum 28 De paupertate

1. Monachus pauperem Christum sequi elegit, ut illius inopia ditaretur. Non nitens terrenis, sed Deo, thesaurum in caelo habet, quo tendit cor eius¹⁹³. Nihil igitur tamquam suum considerans, animo paratus est ad resignandum in manibus Prioris sui sponte et libere omnia quae sibi concessa sunt, quoties ille voluerit.

2. Sollemniter professi separatim nihil habent nisi ea quae eis Ordo concedit ad usum simplicem. Facultatem etiam renuntiaverunt quicquam petendi, accipiendo, donandi aut alienandi sine licentia. Etiam inter nos nihil omnino permutare possumus nec recipere sine licentia.

3. Professi vero votorum temporariorum ac donati, dum conservant proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia acquirendi, nihil personale secum habent, sicut et novitii. Tirones suos Magister separationem a bonis temporalibus et commoditatibus, paupertatisque amorem, singulariter edoceat.

¹⁸⁹cf. Regula sancti Benedicti, 36.

¹⁹⁰Cons. Cart. 38.1.

¹⁹¹Cons. Cart. 38.2.

¹⁹²Ps 121, 1.

¹⁹³Mt 6, 19-21.

4. Iuxta Guigonis verbum, si cui monacho, ab aliquo amico vel propinquo, vel vestis vel aliquid huiusmodi missum fuerit, non ei sed alii potius datur, ne quasi proprium habere videatur¹⁹⁴. Nulla ergo persona Ordinis in libris vel aliis quibuscumque rebus, sui gratia Ordini acquisitis, usumfructum vel alium quemlibet titulum sibi praesumat vendicare, sed illum usum cum gratiarum actione, non ut rei propriae, sed alienae recipiat, si sibi concedatur. Nullus vero umquam pecunias alias in sua voluntate habeat aut penes se custodiat.

5. Quia vero Filius hominis non habuit ubi caput suum reclinaret¹⁹⁵, in cellis nostris simplicitas et paupertas omnino serventur. Constanti studio superflua et curiosa ab eis removeamus, iudicium etiam Prioris libenter requirentes.

6. Quicumque in quacumque oboedientia cuiuslibet agit vices nihil omnino in ea sine licentia mutare permittitur. Sed et ipsi monachi in cellis et oboedientiis nihil, nisi prius ostensum et concessum, mutant vel faciant¹⁹⁶.

7. Prior providebit omnibus monachis de necessariis ad vestitum. Omnes personae Ordinis albi coloris gerunt habitum et cucullam ; duas tunicas accipiunt, cucullas duas vel tres. Monachi claustrorum cilicio utuntur et lumbare, non vero conversi nec donati. Cappam nigram omnes novitii ubique in Conventu deferunt. Quando terminos eximus, mantellum deferimus.

8. Vestimenta nostra nullam curiositatem nec superfluitatem religiosae simplicitati et paupertati contrariam habeant. In omnibus enim huiusmodi Patres nostri aliud nihil curabant, nisi ut frigus arceretur et nuditas tegeretur, aestimantes ad cartusienses certo pertinere attritionem pannorum et universorum quibus utuntur¹⁹⁷. Illorum mentem sequentes, curemus tamen ut unius cuiusque vestimenta et cella munda sint et decentia.

Lectum, nisi infirmi simus aut in itinere constituti, secundum monasticam austoritatem componimus.

9. Instrumenta alicuius pretii iis tantum permittuntur quibus iudicio Prioris necessaria videntur. Instrumenta vero musica proposito nostro non conveniunt, nec ludi cuiuscumque generis. Tamen, ad cantum nostrum discendum, admitti possunt instrumenta quae vocem ducunt vel quae eam inscribunt. Radiophonica instrumenta apud nos paenitus excluduntur.

10. Quoniam tanta est regionum diversitas ut frequenter quod in una necessarium in altera sit superfluum, et ita nulla possit certa et universalis lex pro omnibus statui, hortamur Piores ut in omnibus subditorum necessitatibus sublevandis, quantum facultates Domorum sinunt, se faciles exhibeant, et Christi caritate moti, nullo modo patientur in hoc se iuste reprehendi posse, neve sua tenacitate monachos in vitium proprietatis inducant. Paupertas enim eo magis Domino placebit quo magis voluntaria erit. Non enim amisisse saeculi commoditates, sed dimisisse, laudabile est¹⁹⁸.

Capitulum 29 De temporalium rerum cura

1. Prior non res suas aut hominum curat, sed Christi pauperis, cui de omnibus illum reddere rationem oportebit. Ipsius est ergo Officiales et ministros in administrandis bonis dirigere et ea secundum Deum, conscientiam et formam Ordinis et Statutorum nostrorum discrete dispensare, ac ne quid male expendatur sollicite curare.

¹⁹⁴Cons. Cart. 59.1.

¹⁹⁵cf. Mt 8, 20.

¹⁹⁶cf. Cons. Cart. 64.2.

¹⁹⁷cf. Cons. Cart. 57.3 ; 28.1.

¹⁹⁸Guigo, Meditatio n. 297.

2. Priori noviter instituto Procurator statum principalium bonorum Domus submittit, tam mobilium quam immobilium, ab ipso Priore et a Consilio eius subscribendum. Carta vero huius status in tabulario Domus servanda erit.

3. Pecunia quae ad cotidianos usus necessaria est in dispositione Prioris vel Procuratoris servatur. Pro negotiis magni momenti litterae de his rebus dispositiones facientes non a Priore solo, sed etiam a Procuratore, subsignari debent.

4. Prior initio anni, aut alio tempore pro consuetudine Domus, in praesentia sua et Consilii Domus faciat Procuratorem reddere rationem generalem totius receptae et expensae in praeterito anno factae. Et cum Priore omnes inquirant an paupertas a Statutis commendata in Domo vere observetur.

5. Ad Domorum autem nostrarum sustentationem Patres nostri constituerunt non munera attendere quae mittuntur, sed aliquos annuos redditus Deo dante habere. Non enim propter incerta beneficia onera certa, quae nec portari, nec deponi sine grandi possent periculo, subeunda eis visa sunt¹⁹⁹, qui vagandi insuper et quaesitandi consuetudinem horrebant.

6. Credimus tamen quod mediocres facultates ex Dei adiutorio nobis sufficient, si humilitatis, paupertatis, sobrietatis in victu et vestitu et ceteris ad usum pertinentibus, antiqui propositi studium perseveret, et si postremo mundi contemptus et Dei amor, propter quem ferri et fieri omnia debent, profectum in dies accipiat²⁰⁰. Ad nos utique spectant verba Domini : Nolite solliciti esse in crastinum, scit enim Pater vester quia his omnibus indigetis ; primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius²⁰¹.

7. Procurator ne mercatura ad portas Domus vel etiam intra septa monasterii fiat sollicite advigilabit. Ubi vero huiusmodi commercia iam introducta sunt, si sine scandalo et magna perturbatione fieri potest, omnino tollantur.

8. Erga saeculares in Domibus nostris etiam nulla mercede laborantes, iustitia sancte servetur, et leges sedulo observentur. De bono animarum eorum Prior sit etiam sollicitus. Verumtamen tales adiutores ne multiplicentur, cum eorum frequentatio spiritui monastico fratrum aliquando obsit.

9. Prior sine consensu eorum qui a consiliis sibi sunt non praesumat commodare nec dare pecuniam, simul vel per partes, ultra summam a Capitulo Generali taxatam. Insuper caveant Piores ne propinquis vel amicis dent nimia munera, quibus iustitia laederetur, pax periclitaretur et Domus gravaretur.

10. Bona quae sunt de patrimonio Domus nullus alienet nisi pro Domus magna utilitate, servatisque de Iure servandis. Et si agatur de bonis summam a Capitulo Generali determinatam excedentibus, nil fiat sine consensu Consilii Domus per vota secreta expresso necnon Visitatorum atque Reverendi Patris. Quae etiam sollemnitates simili modo requiruntur ad mutuandam pecuniam, simul vel per partes, quae summam a Capitulo Generali taxatam superaret. Pro expensis vero ad victimum, vestitum aliasve ordinarios sumptus non pertinentibus, Consilium Domus consulatur.

11. Cum aliqua Domus Ordinis, per absolutionem aut mortem sui Prioris, est sui pastoris solatio destituta, nulla in ea paenitus fiat alienatio rei immobilis cuiusquam, aut etiam mobilis, quae adventum novi Prioris sine detrimento Domus exspectare potest.

12. Si quid datum fuerit monacho sollemniter professo qui in aliena Domo tamquam hospes commoratur, acquiritur Domui in qua hospitatur ; hereditates autem Domui Professionis semper obveniunt. Fructus vero cuiusvis operis a monacho praestiti ad Domum pertinent ubi monachus id operatus est. Quae professo vel donato ratione pensionis aut assecurationis obveniunt, acquiruntur

¹⁹⁹cf. Cons. Cart. 79.3.

²⁰⁰Ibidem.

²⁰¹Mt 6, 32-34.

Domui in qua tunc hospitatur ; quae Domus debita pro eisdem contributa solvet. De his omnibus si quod dubium oriatur, iudicium Reverendo Patri Cartusiae vel Capitulo Generali remittatur.

13. Priors et Procuratores, quantum poterunt, lites et causas fugiant ; non enim decet litigare servos Eius qui dixit : Ei qui vult tecum iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte et pallium²⁰².

14. Quamvis Domui liceat possidere ea quae necessaria sunt ad vitam communitatis secundum formam propositi nostri, omnis tamen species luxus, inordinati lucri ac bonorum cumulationis fugi debet, ut verae paupertatis testimonium perhibeatur. Non enim satis est ut monachi in usu bonorum Superiori subiciantur, sed oportet ut, sicut Christus, revera sint pauperes, quorum thesaurus in caelis est²⁰³. Nec solum lauitiae, sed nimiae etiam commoditates fugienda nobis sunt, ut omnia in Domibus nostris simplicitatem propositi nostri redoleant.

15. Vehicula igitur, machinae et instrumenta ne emantur, nisi re prius mature examinata et eorum necessitate vel utilitate comprobata, quae praesertim attendi potest si ad solitudinem fratrum servandam conferunt vel eorum labori parcunt.

16. Aedicia nostra sint sufficientia quidem et proposito nostro apta ; simplicitas tamen in eis ubique servetur. Nam Domus nostraræ non vanæ gloriae vel artis, sed evangelicae paupertatis testimonium perhibere debent.

17. Igitur omnia curiosa et superflua aedicia omnino prohibemus universis. Utilia vero et commoda nullus Prior facere praesumat sine consensu sui Conventus vel saltem Consilii. Insper opus est licentia in scriptis data Visitatorum Domus, qui prudenter rem examinabunt, et comperient Domum non esse debitum gravatam. Pro expensis huiusmodi, summam excedentibus a Capitulo Generali taxatam, debebit etiam accedere licentia Reverendi Patris. Et haec intellegenda sunt non de solis novis aedificiis, sed etiam de restorationibus aedificiorum antiquorum in quibus fit notabilis mutatio structurae.

18. Nulla nova Domus inchoari potest sine assensu et normis a Capitulo Generali datis. Secundum antiquam Patrum nostrorum consuetudinem, Domus quae fundandæ erunt a strepitu viarum distantes in desertis locis aedificantur. Quando de erectione et aedificatione novae Domus agitur, Diffinitores decernant, non tamen sine prævia consultatione Coetus plenarii ; similiter fiat pro suppressione alicuius Domus Ordinis, de cuius bonis providebit Diffinitorum.

Quantum fieri potest Priors current ne in possessionibus monasterii vel terris adiacentibus aedicia erigantur vel restaurantur quae postea extraneos attrahere possint.

19. Hortamur tandem et obsecramus omnes Priors Ordinis nostri in visceribus Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, qui seipsum totum in ligno Crucis pro nobis impendit, ut omnes pro facultate Domorum suarum toto corde incumbant eleemosynis large faciendis, existimantes quod, quidquid immoderate expenderetur vel retineretur, pauperibus necessitatibusque Ecclesiae furto subtraheretur. Ita communem bonorum destinationem servantes primaevos christianos imitemur, apud quos nullus aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia²⁰⁴.

Capitulum 30 De stabilitate

1. Monachus perfectam sui oblationem Deo non offert nisi per totam vitam in suo proposito constans sit ; quod Professione sollemni libere spondet se praestitum. Cum igitur illa sit irrevocabilis, priusquam eam emittat, sedens prius cogitet utrum revera velit pro semper Deo se tradere.

²⁰²Mt 5, 40.

²⁰³cf. Vaticanus II, Perfectae caritatis, 13 _ cf. Mt 6, 20.

²⁰⁴Act 4, 32.

Vi Professionis monachus communitati insertur tamquam familiae a Deo sibi datae, in qua se stabilire habet corpore et spiritu.

2. Unusquisque ergo, postquam in suo statu consecratus est, sive pater sive frater, in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat, atque magis excellat ad uberiorem Ecclesiae sanctitatem, ad maiorem gloriam unius et individuae Trinitatis²⁰⁵.

3. Ut monachus professus ad aliam Domum Ordinis sua petitione transire possit, requiritur consensus Prioris utriusque Domus et Capituli monasterii recipientis, praeter licentiam Capituli Generalis vel Reverendi Patris.

Gravibus tantum ex causis, idem Capitulum Generale vel Reverendus Pater, aliquem in aliam Domum transferre possunt. Antequam fiat, personae quarum interest consulendae sunt, inquantum fieri potest.

Nullus autem Prior aut quisvis alias monachus sollicitet personas aliarum Domorum vel sue Domus ad aliquam instabilitatem. Praeterea, aequum videtur, si qua Domus personam incompositam ad Professionem receperit, quod eam et sustineat.

4. Monachi etiam facile non credant se sanas rationes habere ut a Superioribus translationes petere valeant. Imaginatio enim locorum et mutatio multos fefellit, nec decet monachum tanti pendere aeris et ciborum aut hominum qualitatem aliasque huiusmodi varietates.

5. Quando aliquis monachus ad aliam Domum destinatur, eodem sine mora perget nec a recto itinere notabiliter divertat. Secum ea tantum ferat quae necessaria sunt pro itinere, nec quicquam mittere sibi faciat.

6. In Domo ad quam missus est monachus omni caritate suscipiatur, et a Priore sicut filius ipsius Domus tractetur. Ipse vero erga Priorem et ceteros Officiales debitum obsequium ostendat et consuetudinibus ibi vigentibus se conformet. Caveat etiam ne de defectibus rerum vel personarum, quas aliunde in Ordine noverit, indiscrete loquatur; nec ab aliis de talibus interrogetur. Atque Domum a Providentia sibi assignatam in posterum habeat ut suam familiam quietamque portus stationem.

7. Iusta de causa Prior, de consensu sui Consilii et cum licentia Capituli Generalis vel Reverendi Patris, monacho professo concedere potest ut extra Domos Ordinis degat non tamen ultra annum nisi causa infirmitatis curandae. Eadem licentia ab ipso Capitulo Generali concedi potest, vel, auditio Priore, a Reverendo Patre dummodo a sequenti Capitulo Generali confirmetur.

8. Novimus quantum patientia et perseverantia in adjunctis nobis a Domino praefixis contemplationi divinorum prosint. Nam impossibile est hominem fideliter figere in uno animum suum, qui non prius alicui loco perseveranter affixerit corpus suum²⁰⁶; mens etiam proposito suo inconcussa inhaerere debet, ut ad Illum appropinquare valeat apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio²⁰⁷.

²⁰⁵cf. Vaticanus II, Lumen gentium, 47.

²⁰⁶Guillelmus de Sancto Theoderico, Epistola ad Fratres de Monte Dei, 25, PL 184, 324.

²⁰⁷Iac 1, 17.

- Liber 4 -

DE ORDINE

Capitulum 31

De regime Ordinis

1. Pro tenore et stabili firmitate cartusiensis propositi, communi primorum Priorum Ordinis consilio decretum est ut in Domo Cartusiae Generale Capitulum haberetur, cui omnes Domus suas corrigendas et servandas tradiderunt ; eidem Capitulo oboedientiam pro se et Domibus suis promiserunt. Quo confirmatum est vinculum caritatis perpetuae inter Domos et inter cunctos Ordinis sodales, qui una simul in via Dei alacriter pergere volunt.

2. Capitulum Generale altero quoque anno celebratur, ad quod conveniunt Piores, necnon Rectores, Procurator Generalis et Vicarii monialium et Visitator monialium. Si quis eorum qui Domibus praesunt impeditus fuerit, monachus sollemniter professus ab eo delegatur. Si qua Domus Priore orbata fuerit, Reverendus Pater monachum eiusdem Domus, professum votorum sollemnium, invitare poterit ut Capitulo Generali intersit. Qui omnes in Capitulo eadem iura et officia habent, scilicet Priorum.

3. Coetus in quo omnes qui iuribus Prioris fruuntur, et etiam ceteri monachi qui forte inter Diffinitores connumerantur, simul coadunantur, vocatur Coetus plenarius, cui Reverendus Pater praesidet. Habet hic Coetus potestatem statuendi de omnibus quae ad Ordinem spectant, praeter ea quae Diffinitorio competit. Dat etiam Coetus plenarius suffragium consultivum de his quae sibi proponuntur a Diffinitoribus, istis tunc suffragium non ferentibus.

4. Diffinitorium, cui Reverendus Pater praesidet, constituitur eo-dem Reverendo Patre et octo Diffinitoribus electis ut alibi dicitur. Excepto Reverendo Patre nullus sit vel eligatur Diffinitor, qui in ultimo praecedenti Capitulo hoc munere functus fuerit.

Ipsum Diffinitorium decernit de personis et de Domibus. In unoquoque autem Capitulo Generali omnes Praelati, insequendo communem oboedientiam eidem promissam et debitam, petunt misericordiam, ut super eorum absolutione aut confirmatione possit in Diffinitorio deliberari. Secundum enim traditionem nostram Prior munere suo fungit quamdiu iudicio Capituli Generalis aptus est ad illud exercendum in bonum Conventus.

Diffinitorii etiam nominare est Procuratorem Generalem qui apud Sedem Apostolicam Ordinem repraesentat.

5. Diffinitorium nequit observantiam in Statuta introducere nec abrogare, neque textus liturgicos novos Ordini imponere. Ordinationes vero vel Admonitiones ferre potest, quae determinant formam applicandi Statuta nostra in adjunctis particularibus ; de quibus votum consultivum ceterorum Capitulantum requirere potest.

6. Pro omnibus aliis quae ad totum Ordinem pertinent, a Diffinitorio proponuntur ea de quibus in Coetu plenario deliberandum est, et ab ipso Coetu suffragium fertur. Potest etiam Diffinitorium rogare, si ipsi videtur, ut Coetus rem altera deliberatione consideret et alterum ultimumque ferat suffragium.

7. Omnes Ordinationes, sive a Coetu plenario sive a Diffinitorio latae, nisi per sequentis Capituli Coetum plenarium confirmantur, irritantur.

8. Contra aliquid eorum quae continentur in his Statutis nil potest statui nec ad effectum deduci per quod antiquus rigor cartusiensis Ordinis minuatur, nisi per duo continua Capitula approbetur in quibus saltem duea partes (2/3) eorum qui suffragium expresserunt assensum dederint.

9. Si qua autem Ordinatio, licet rigorem Ordinis non afficeret, observantiam tamen nostram in aliquo capite substantialiter mutaret, promulgari non posset nisi saltem duae partes (2/3) eorum qui suffragium expresserunt assensum dedissent. A sequenti Capitulo Generali eodem suffragio confirmari deberet.

10. In Generali Capitulo, Reverendus Pater et membra Consilii Generalis debent inter se ponderare novas Ordinationes, utrum sint contra rigorem Ordinis, vel observantiam substantialiter mutant an non. Insper iidem potestatem habent terminum imponendi cuilibet dubio de facto vel de iure quod pro hoc Capitulo Generali occurtere possit de interpretatione praesentis capituli, capitulique 39, necnon modi procedendi in Coetu plenario et Diffinitorio. Itaque omnis sodalis Consilii Generalis Coetui plenario interest.

11. Reverendus Pater, Prior Cartusiae videlicet, totius Ordinis Minister Generalis est. A Conventu Maioris Cartusiae eligitur, sed haec electio vim iuris non habet donec a collegio quod Prioribus, Prioriss et Rectoribus constat acceptetur. Quae fiunt sicut infra dicitur.

12. Facta electione, moniti a scrutatoribus, Piores, Priorissae atque Rectores Ordinis ad Maiores Cartusiam conveniunt, ad electionem acceptandam vel reiiciendam. Si reiecerint, Conventus Cartusiae potest, si vult, alteram electionem facere. Quod si supradictum collegium electionem denuo reiecerit, aut Conventus Cartusiae huic secundae electioni renuntiaverit, eiusdem collegii est alios tres monachos proponere, ex quibus Conventus Cartusiae Reverendum Patrem eligit. Sic electus ab eodem collegio acceptatus censetur.

Quisquis autem eligitur ut Reverendum Patrem hoc officium recusare nequit.

13. Prior Cartusiae super annum auctoritate Capituli Generalis utatur quoties pro bono Ordinis ea utendum est quin possit exspectari proximum Generale Capitulum.

Porro pro his negotiis habet Reverendus Pater Consilium, quod vocamus Generale Consilium, constans Procuratore Generali et monachis sollemniter professis a Coetu plenario electis (cf. 39. 10). Monachi, qui Generale Consilium constituerunt, resident in propriis Domibus et a Reverendo Patre consuluntur quo iudicaverit meliori modo ; si casus exegerit, ac quoties a Iure Consilii consensus requiritur, membra eius ad Domum Cartusiae vocantur.

14. Auctoritas Reverendi Patris alteri committi nequit nisi de consensu omnium Diffinitorum eiusdemque Reverendi Patris. Nullus autem monachus Cartusiae se quomodolibet intromittat de factis Ordinis vel singularium personarum aut Domorum eiusdem, etiam si ab ipsis litteras acceperit, nisi ad hoc per Capitulum Generale vel Reverendum Patrem fuerit deputatus.

15. Reverendus Pater, cuius est, ut Minister Generalis, Ordinis unitatem conservare, ordinariam potestatem exercet in moniales cartusienses.

16. Capitulum Generale, cui Domorum monialium spiritualis profectus cordi est, ad eas monachos mittit ut Visitatores (32.2). Ad Capitulum etiam Generale, vel ad Reverendum Patrem, pertinet apud moniales patres deputare qui munibus pastoralibus fungantur in capitulo 25 Statutorum monialium descriptis. Unus eorum, quem nominamus Vicarium, Superior est communitatis monachorum qui, pro servitio monialium, apud eas vivunt.

Nemo Vicarius fiat qui non quinque saltem annos post professionem sollemnem in Ordine vixerit. Vicarius usque ad proximum Capitulum Generale nominatur ; eius autem officium renovari potest, ita tamen ut in eadem Domo officio Vicarii non ultra decem continuos annos fungatur.

Normae quae in capitulo 25 Statutorum monialium de Vicariatus membris inveniuntur, sine praevia approbatione Capituli Generalis monachorum mutari nequeunt.

17. Diffinitorum de Visitatore monialium et de Vicariis earum nihil statuit nisi praemissa consultatione Priorissarum a Reverendo Patre vel ab ipso Diffinitorio.

18. Generali Capitulo monialium adsunt Reverendus Pater, Visitator monialium et Convisitatores monialium, ut eis consilio valeant auxiliari. Si quod Coetus plenarii suffragium unitatem Ordinis vel observantias eius praecipuas in discrimen verteret, Reverendus Pater, qui eidem Coetui praesidet, hoc suffragium infirmare posset.

19. Omnes qui potestatem exercent in Ordine semper mentem et legem Ecclesiae teneant ut normam supremam iuxta quam Ordinis traditiones intellegendae sunt. Piores vero, quibus a subiectis suis prompta oboedientia debetur, decet eisdem subiectis exemplum vicissim praebere, sese ordinationibus Generalis Capituli vel Reverendi Patris humiliter submittentes, nec eas coram aliis vituperantes.

Quo melius Ordinis nostri communio cum Summo Pontifice foveatur, sexto quoque anno, Reverendus Pater brevem conspectum status ac vitae Ordinis Apostolicae Sede mittit²⁰⁸.

Capitulum 32 De Visitationibus

1. Capitulum Generale, cum de caritate et pace et de fidei observantia in Domibus Ordinis instantem curam gerat, statuit in singulis biennis Visitatores ad omnes Domos mittere, qui sollicitudinem Ordinis erga eas manifestarent et facultatibus necessariis pollerent ad difficultates solvendas quae forte occurrerent.

2. In omni Capitulo Generali Piores, qui ad hoc munus idonei iudicentur, designantur et in Carta inscribuntur, ut iure ordinario aliquot Domus visitent. Nominandus est etiam Visitator monialium qui, una cum monacho a Capitulo Generale designato, Domos earum visitabit.

3. Domus Cartusiae et Domus Visitatorum visitentur iure ordinario per eos quos Capitulum Generale deputaverit, proviso quod nullus visitet eum qui suam Domum recenter visitavit. Caveatur etiam ne quis visitet Domum cuius sit professus, saltem per decem annos postquam ab ea discesserit. Si contigerit Visitatores quos deputaverit Capitulum Generale non posse visitare Domos sibi commissas, ad Reverendum Patrem spectabit alios nominare qui vocantur Commissarii. Providebit etiam Reverendus Pater ut Domus non canonice erectae opportuno quo iudicaverit modo visitentur.

4. Visitationis forma alibi describitur (cap. 40).

Conventus, Visitationis tempus acceptabile in gratiam Dei verti desiderans, Visitatores aut Commissarios, quippe qui auctoritate pollent Capituli Generalis vel Reverendi Patris, in spiritu fidei accipiet. Eis quisque monachus muneri explendo impensa voluntate praestabit auxilium. Visitatores ergo et monachi omnia facient ut mutua inter se fiducia oriatur.

5. Visitatorum autem primum officium est monachos fraterna caritate accipere eosque summa attentione auscultare ; postea eo laborant ut omnes, quidquid boni in seipsis habent, Domino ac fratribus afferre melius valeant.

6. Munus suum non ut iudices, sed potius exerceant ut fratres, quibus tentati et afflitti animam suam libere ac sine timore divulgationis aperire possint ; nec in re tanti momenti festinanter, sed quiete procedant.

²⁰⁸Codex iuris canonici, can. 592 § 1.

7. Visitatoribus potest unusquisque libere loqui et ea exprimere quae iudicium vel consilium requirunt, sive de propriis sollicitudinibus sive de Conventu agatur. Eis etiam nonnulla, quae bono communi utilia videantur, cum animo aedificandi proponi poterunt.

8. Antequam de alio monacho loquamur, cor ante Deum colligamus ; nam veritatem facere in caritate²⁰⁹ eo magis valebimus quod Spiritui Sancto mentem dociliorem praestabimus. Qui bene in pace est de nullo suspicatur. Saepe melius erit tacere quam sermonibus morari de rebus quae probari nequeunt, vel de frivolis, vel etiam de defectibus eorum qui iam sunt in via emendationis.

9. Ad Visitatores non solum pertinet cum omni monacho colloqui sigillatim, sed et cum ipso Conventu conferre, ut fit in prima et ultima sessione Visitationis.

Ut Visitatio Domino iuvante permansuros fructus afferat, omnem dant operam ut Conventus spiritualem renovationem tamquam rem suam ipse suscipiat.

10. Visitatores videant qualiter Conventus se habeat, an inde a praecedenti Visitatione profecerit, et quae difficultates intercesserint. Communitatem provocabunt ut secum inquirat an spiritus et littera observantiae regularis, prout in Statutis exponitur, fideliter serventur. Examinent autem computa Domus et considerent quomodo evangelica paupertas teneatur. Pro excessibus quos forte invenerint idonea remedia indicent. Una cum monachis, imprimis cum Priore, attente quaerant quibusnam dispositionibus Conventus adiuvari possit ut vocationi suaee fidelior evadat.

11. Priusquam discedant, Visitatores quas orientationes dederint et ea quae decreverint in Carta scribant, eamque verbis simplicibus et personis accommodatis conscribant. Curae eis sit ut Conventus continuo gradu ad Deum iter prosequatur ; inde aliqua, quae iam in Carta praecedentis Visitationis indicata fuerint, si opus sit, recordentur.

Saepe opportunum erit ut Priorem, de decretis quae ferre intendunt, prius certiore faciant et eius audiant observationes. Nam Visitatores oportet pastorales intentiones quibus Prior monachos ducit nosse ut istas efficacius iuvent.

12. Curae eis erit ne quem reprehendant vel de eo decernant quin eum prius audierint. Si quam hortationem alicui mandare duxerint, ei rem viva voce explanent, ita ut mens eorum bene capiatur. Denique a Domo ne discedant antequam certiores fiant Conventum Cartae intentiones et praescripta recte intellexisse.

13. Qui a Visitatoribus admoniti fuerint ne inquirant quis de se talia deposuerit, sed omnia ex caritate fuisse dicta sibi persuadentes, omnia in caritate et humilitate suscipiant. Suos defectus agnoscentes emendent se et de cetero prudentiores existant. Nec alicui quem cognoverint contra se aliquid denuntiasse verbis umquam vel factis molesti sint. Maxime Prior vigilet ne cuiquam vindictam ullo modo inferat vel molestum se ostendat, sed ceteris det exemplum humilitatis et renovationis propriae.

14. In gravissimo casu Visitatores Priorem ab officio absolvere possunt, Reverendo Patre de re prius consulto si fieri potest. Officialis quem ipsi absolverint in sua oboedientia reponi non potest sine licentia Capituli Generalis vel Reverendi Patris.

15. Visitatorum etiam est post Visitationem consulere ut orientationes quas tunc dederint in effectum deducantur. Ad hoc extra actum Visitationis universaliter habent eandem auctoritatem quam habent in actu Visitationis, excepto quod non possunt Officialles destituere, et quod non debent accedere ad Domos suaee Visitationis nisi urgentibus de causis.

²⁰⁹cf. Eph 4, 15.

16. Visitatorum est quoque curam adhibere ut orientationes Capituli Generalis in Domibus ad effectum deducantur. Habent insuper auctoritatem Capituli Generalis in omnibus casibus urgentibus in quibus Reverendum Patrem consulere non possunt.

17. Visitatores simul decernunt. Quod si tamen unus sit impeditus, potest alter decernere, consulto altero Visitatore, si commode fieri possit.

18. Quia ex fructu Visitationum multum pendet profectus Domorum, Visitatores sint solliciti et studiosi, formali et externa muneris impletione numquam contenti. Solum bonum animarum prae oculis habentes, nec viribus nec tempori parcant, ut Visitatione eorum pacem et dilectionem Christi in cordibus augeat.

Capitulum 33 De conversione vitae

1. Quanto altior via nobis aperta est, qui sanctam vitae formam per Patres nostros accepimus, eo facilius ab ea decidere possumus, non tantum patentibus transgressionibus, sed et rerum usus quasi naturali pondere. Cum autem Deus humilibus det gratiam²¹⁰, ad Ipsum nobis maxime recurrendum, et semper standum est in proelio, ne illa vinea electa in pravum convertatur²¹¹.

2. Etenim tenor nostri propositi magis pendet ab uniuscuiusque fidelitate quam a multiplicatione legum vel accommodatione consuetudinum vel etiam a Priorum navitate. Non enim satis esset Praelatorum mandatis parere ac litteram Statutorum fideliter servare, nisi, Spiritu ducti, quae sunt Spiritus saperemus. Monachus, ab exordio novae conversationis sua in solitudine constitutus, relinquitur in manu consilii sui. Cum iam non sit parvulus, sed vir, ne fluctuans circumferatur omni vento, sed probans quid sit beneplacitum Deo²¹², id sponte sequatur, ac libertate filiorum Dei sobrie et sapienter fruatur, de qua coram Domino respondere debet. Ne sit ullus tamen prudens apud semetipsum²¹³. Qui enim cor suum alicui sapienti duci aperire negligit, timendum est ne discretionis oblitus aut minus ambulet quam necesse est, aut currens lassetur, aut moram faciens obdormiat²¹⁴.

3. Quomodo ergo sicut hostiae viventes, Deo placentes²¹⁵, munere nostro in Populo Dei fungi poterimus, si a Filio Dei, qui vita simul atque summa Hostia est, nos seiungi permittamus, vitae relaxatione et immortificatione, mentis evagationibus, loquacitate inani, vanis curis et occupationibus ; vel si in cella monachus ob suiipsius amorem misera sollicitudine captivus teneatur ?

Conemur ergo pro viribus, in simplicitate cordis et mentis castitate, cogitationes et affectus nostros in Deo stabilire. Unusquisque, semetipsum et quae retro sunt oblivious, ad destinatum persequatur, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu²¹⁶.

4. Sed qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt quomodo potest diligere²¹⁷ ? Cum autem fraternalm hominum colloquium nonnisi per mutuam personarum reverentiam perficiatur, certo nos maxime decet, qui in Domo Dei manemus, caritati quae ex Deo est testimonium perhibere, dum fratres nobiscum viventes amanter excipimus, ac indoles et ingenia eorum, a nostris quamvis

²¹⁰cf. Iac 4, 6.

²¹¹cf. Ier 2, 21.

²¹²cf. Eph 4, 14 ; 5, 10.

²¹³cf. Rom 12, 16.

²¹⁴Sanctus Hieronymus, ad Rusticum, Epistola 125,9, PL 22, 1077.

²¹⁵cf. Rom 12, 1.

²¹⁶cf. Philip 3, 13-14.

²¹⁷1 Io 4, 20.

diversa, corde et intellectu amplecti satagimus. Inimicitiae enim, contentiones et cetera huiusmodi ex aliarum personarum contemptu plerumque proveniunt.

5. Ab omnibus caveamus quae laedere possent bonum pacis ; ante omnia de fratre nostro male ne loquamur. Si qua dissensio in Domo oriatur inter monachos vel inter ipsos et Priorem, patienter et humiliter omnia probentur quae rem solvere possint in caritate, antequam ad Visitatores, Reverendum Patrem vel Capitulum Generale deferatur. Melius est enim in ipsa conventuali familia, omnium conatu et consensu, pacem asservari. Tunc Prioris est ostendere se non ut dominantem, sed ut fratrem ; et si in culpa est eam agnoscat et emendet se.

6. Cum vero per Piores maxime deficiat vel vigeat spiritus in Domibus Ordinis, exemplo studeant prodesse et prius faciant quam doceant, nec audeant aliquid loqui quod per eos loqui noluisset ipse Christus. Orationi, silentio et cellae dediti, fiduciam subditorum mereantur et veram communionem caritatis cum eis habeant. Benigne et sedulo videant quae sint eorum vita in cella et animi status, ut eorum temptationum principiis obstent, ne, postquam invaluerint, serius medicina paretur.

7. Hodie tandem maxime cavendum est ne conformemur huic saeculo²¹⁸. Nam quae ad commoditatem vitae pertinent nimis quaerere et promptius amplecti, condicioni nostrae omnino repugnat, praesertim cum novitas novitatem invocet. Facultates nobis a divina Providentia concessae non sunt ut vitae blandimenta quaeramus. Facile etenim est iter ad Deum, quoniam non se onerando, sed exonerando itur. In tantum ergo nos exoneremus ut, dimissis omnibus, nosmetipsos abnegantes²¹⁹, primorum Patrum nostrorum conversationis participes efficiamur.

Capitulum 34 De Ordinis munere in Ecclesia

1. Quid solitudo eremique silentium amatoribus suis utilitatis iucunditatisque divinae conferat, norunt hi soli qui experti sunt²²⁰ ; sed illam partem optimam²²¹ non ad nostrum tantum beneficium elegimus. Vitam enim absconditam amplectentes, humanam familiam non deserimus, sed, soli Deo vacantes, munere fungimur in Ecclesia, ubi quod visibile est ad invisible, quod actionis ad contemplationem ordinatur²²².

2. Si ergo Deo vere adhaeremus, in nobismetipsis non secludimur, sed e contra mens nostra adaperitur et cor ita dilatatur ut totum universum mysteriumque Christi salutiferum complecti valeat²²³. Ab omnibus segregati, omnibus unimur, ut in nomine omnium ante Deum viventem adstemus. Haec autem intentio quae, quantum humana sinit condicio, proxime et continenter fertur in Deum, nos peculiarem in modum cum beata Maria Virgine consociat, quam Matrem singularem Cartusiensium solemus appellare²²⁴.

3. Per nostram Professionem ad Eum qui est²²⁵ unice intendentis, mundo rebus terrestribus nimis intricato testes efficimur quod praeter Eum non est Deus. Vita autem nostra bona caelestia iam in hoc

²¹⁸cf. Rom 12, 2.

²¹⁹cf. Mt 16, 24 _ Guigo, Meditatio n. 56.

²²⁰Sanctus Bruno, ad Radulphum, 6.

²²¹Lc 10, 42.

²²²cf. Vaticanus II, Sacrosanctum Concilium, 2.

²²³cf. Pius XII, Nuntius Radiophonicus 19 iulii 1958, A. A. S. 1958, 586.

²²⁴Paulus VI, Epistola "Optimam partem", 18 aprilis 1971.

²²⁵cf. Ex 3, 14.

saeculo praesentia esse manifestat, resurrectionem praenuntiat ac renovationem mundi quodam modo anticipat²²⁶.

4. Paenitentia tandem salutiferum opus Christi participamus, qui praecipue preces ad Patrem fundendo seque immolando genus humanum noxis vinctum et oppressum redemit. Unde fit ut qui intimam hanc rationem salvifici muneris Christi sequi conamur, etiamsi abstineamus actione, praecellenti tamen ratione apostolatum exerceamus²²⁷.

5. Igitur ad laudem Dei, ad quam specialiter institutus est Ordo eremiticus cartusiensis²²⁸, quieti cellae vacantes et laborantes, incessabilem Ei cultum offeramus, ut, sanctificati in veritate, veri adoratores simus quos Pater quaerit²²⁹.

Capitulum 35 De ipsis Statutis

1. Disciplinam Patrum nostrorum in his Statutis renovatam et accommodatam auscultemus et iugiter meditemur. Ne dimittamus eam et custodiet nos. Diligamus eam et conservabit nos²³⁰. Est enim forma et sacramentum sanctitatis unicuique nostrum a Deo praefinitae. Sed Spiritus est qui vivificat²³¹, nec nos sinit littera esse contentos. Haec Statuta enim ad hoc unum tendunt ut per ducatum Evangelii pergam iter Dei²³² et discamus latitudinem caritatis.

2. Neque igitur Reverendo Patri, neque ceteris quibuscumque licet de consuetudinibus in Statutis expressis vel de iis quae ad divinum Officium pertinent, demere aliquid vel addere, sine Capituli Generalis consilio ; insuper Constitutiones seu libri 1-4 horum Statutorum tantummodo cum Sedes Apostolicae consensu mutari possunt²³³.

Sed si quid dubietatis emerserit, dictum Capitulum aut Reverendus Pater consuli poterit et debebit, si dubietas talis fuerit quae responsum exegerit ; eiusque responso, pro manutenenda scilicet disciplina regulari dato, omnes parere debent. Ultima autem et authentica Constitutionum interpretatio ad Sanctam Sedem pertinet.

Nulla praeterea editio Statutorum vel librorum Ordinis liturgicorum in qualibet lingua fiat sine licentia et approbatione Capituli Generalis aut Reverendi Patris.

3. Ea vero quae non sunt expressa in Statutis relinquuntur ordinanda Prioris arbitrio, ita dumtaxat quod ea quae ordinaverit non dissonet ab illis. Hac autem occasione vel alia, nolumus Domorum consuetudines honestas et religiosas leviter a Prioribus immutari. Quae tamen consuetudines contra Statuta numquam praevalere possunt.

4. Et ne Statuta a corde recedant, singulis annis praesentibus monachis legantur. Cum autem in ipsa Statutorum lectione occurrit quod minus fuerit observatum, singuli diligenter considerent quomodo istud possit et debeat emendari. Et si Prior est in culpa, sicut generaliter fieri debet quando de Priore monendo agitur, Vicarius aut aliis de antiquioribus et discretioribus Domus secrete et reverenter eum monere potest et debet ut se corrigat ; si autem alii sunt culpabiles, denuntientur Priori ut eos corrigi

²²⁶cf. Vaticanus II, Lumen gentium, 44, 3.

²²⁷cf. Ioannes XXIII, Epistola "Causa praeclara", 16 iulii 1962, A. A. S. 1962, 568.

²²⁸cf. Innocentius II, Bulla qua approbatae sunt Consuetudines Cartusiae, 22 decembris 1133.

²²⁹cf. Io 17, 19 ; 4, 23.

²³⁰cf. Prv 4, 6.

²³¹Io 6, 64.

²³²cf. Regula sancti Benedicti, Prologus.

²³³Codex iuris canonici, c. 587 § 2.

faciat. Quod si nec ita emendatio fuerit subsecuta et res gravis sit momenti, Visitatores, vel si opus fuerit Reverendus Pater aut Capitulum Generale, intervenire debebunt.

5. Si autem peccaverit frater tuus, vade et corripe eum inter se et ipsum solum²³⁴, dicit Dominus. Hoc vero maximam requirit humilitatem ac prudentiam, et damnum quidem infert, nisi ex caritate pura fiat, quae sua sunt non quaerente. Vicissim etiam nos reprehendi humiliiter cupiamus. Plerumque tamen oportebit monitiones Priori, Vicario vel Procuratori committere, qui eas secundum conscientiam et prudentiam suam intimabunt.

6. Prioris est operam dare ut in Domo Statuta fideliter observentur. Quorum medulla animum eius penetrret, ut in omnibus sciat spiritum observantiae semper servare, memor se ministrum factum esse ipsorum Statutorum, non ad dissipationem sed ad utilitatem fratrum suorum.

7. Monachi vero Statutis oboedientiam responsabilem praestent, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum²³⁵. Nec ignorant dispensationem sine iusta causa esse nullam. Praecepta quoque et monita maiorum suorum, maxime Prioris, qui vice Dei fungitur, omni cum mansuetudine audiant et impleant. Et si interdum erraverint ut homines non sint in emendando pertinaces, ne locum dent diabolo²³⁶; sed potius ad Eum per oboedientiae laborem redeant, a quo per inobedientiae desidiam homo recesserat²³⁷.

8. Contemplantes omnia beneficia quae praeparavit Dominus iis quos in eremum vocavit, cum beato Patre nostro Brunone gaudeamus quia quietam stationem portus secretioris obtinuimus, in qua summi Boni incomparabilem decorem ex parte sentire invitamur. Gaudeamus ergo pro sorte beatitudinis nostrae et pro larga manu gratiae Dei in nos²³⁸, gratias semper agentes Deo Patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine²³⁹. Amen.

²³⁴cf. Mt 18, 15.

²³⁵Col 3, 22.

²³⁶cf. Eph 4, 27.

²³⁷Regula sancti Benedicti, Prologus.

²³⁸cf. Sanctus Bruno, ad filios suos Cartusienses, 2; ad Radulphum, 16.

²³⁹Col 1, 12.